2

BREVIS

DE LOCIS THEOLOGICIS

ATQUE

DE HISTORIA ECCL̃I·CA

COGNITIO

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

HALA MDCXC.

PROŒMIUM

De Loci Theologici Definitione & Diviſione.

QUandoquidem Theologia ſit Argumentativa, debeatque Theologus, (quemadmodùm, & præcipuè, Epiſcopus) amplecti eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere (ad Tit. 1.) opus habet locis quibuſdam principalibus, è quibus ſive propugnando, ſive oppugnando, argumentari queat. Igitur Locus Theologicus eſt Sedes, ex quâ Theologi argumenta deſumunt ad probandum catholicas veritates eaſque tuendum. *D.Th.1.p. q.1.art.8. Sed cont. & in C.*

2. Decem enumerantur, quorum Primus eſt, Sacrarum Litterarum Auctoritas. Secundus, Perennis Divinarum Traditionum uſus. Tertius, Summi Pontificis, in Fidei Controverſiis definiendis, & Eccleſia Chriſti regenda auctoritas. Quartus, Univerſalis, & Oecumenici Concilii Definitio. Quintus, Totius Eccleſiæ Catholicæ Sententia & conſenſus. Sextus, Auctoritas Sanctorum Patrum. Septimus, Theologorum & Canoniſtarum Sententia. Octavus, Momentum rationum naturalium. Nonus, Aſſenſus Philoſophorum. Decimus, Hiſtoria humana.

De Scriptura Sacra.

D Th. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.

1 L*Ocus ab Auctoritate quæ fundatur ſuper revelatione divina, eſt efficaciſſimus.* Hinc Theologus *Auctoritatibus Scripturę Sacrę utitur propriè ex neceſſitate argumentando*: Sive, quidquid ex iis auctoritatibus infert legitimè, neceſſariò verum eſt. Eſt autem Scriptura Sacra Verbum à Deo dictum, ipſoque dictante ac movente ſcriptum: Atque ita omnia quæ in ſacris Literis continentur, Spiritu Sancto inſpirante, dictante, ac phyſicè ſacros ſcriptores movente, ſcripta ſunt.

2. Is dumtaxat Sacrorum Librorum Canon tenendus eſt, quem à tota retrò Antiquitate acceptum, tenendum definit Concilium Tridentinum Seſſ. 4. Quamvis nonnulli Libri Sacri ex relatis in Canonem à Concilio Tridentino, ſint ſolùm Deutero-Canonici, ſunt tamen omnes, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur, Divinæ & infallibilis auctoritatis.

3. Textus Hebraicus qui nunc extat, non eſt Authenticus: Non exiguæ tamen eſt Auctoritatis, etiam ubi diſſidet a noſtra Vulgata, iis in locis quæ de Chriſto, fideiq; Chriſtianæ myſteriis non agunt. Idem de Textu Græco cum proportione dicendum.

4. Septuaginta Interpretum Translatio quæ modò circumfertur, etſi non ſit ſimpliciter Authentica, eſt tamen maximæ Auctoritatis. Non pariter Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aliæque; quibus tamen ſua ineſt utilitas.

5. Vulgata Editio Latina Authentica eſt, non eo dumtaxat ſenſu, quod fide certum ſit eam nihil continere fidei aut bonis moribus repugnans; ſed

etiam quòd nihil omninò falſi contineat.

6. Eccleſia non prohibet abſolutè (ut garriunt Hæretici) translationem Bibliorum in Linguas Vulgares, neque eorum quæ fideliter translata ſunt, uſum; ſed tantùm vult eum uſum non omnibus promiſcuè eſſe liberum, modumque propterea ponit, qui in illo uſu concedendo ſit obſervandus.

7. Duplex eſt Scripturæ Sacræ ſenſus; Litteralis, qui & Hiſtoricus: & Spiritualis, qui etiam Myſticus dici ſolet. Litteralis ſubdividitur in proprium, quem verba propriè accepta immediatè ſignificant: & in improprium, quem verba figuratè accepta ſignificant. Senſus Myſticus, qui non proximè per voces, ſed mediatè & remotè (mediantibus ſcilicet rebus per voces ſignificatis) ſignificatur, ſubdividitur in Allegoricum (quo res corporaliter geſtæ vel gerendæ ſignificant ea quæ ad Chriſtum Chriſtive Eccleſiam pertinent) Moralem, ſive Tropologicum (quo res ejuſmodi ſigna ſunt eorum quæ nos agere debemus) & Anagogicum (quò ea quæ in Sacris Litteris facta recenſentur, ſigna ſunt eorum, quæ pertinent ad vitam æternam. *D. Th. 1. p. q. 1. a. 10.*

8. Judex de vero ſenſu Scripturæ, non eſt ipſa Scriptura, nec privatus cujuſque ſpiritus, ſed Caput Eccleſiæ Romanæ Romanus idemque Sūmus Pontifex.

THESIS SECUNDA.

De Traditionibus.

1 A Traditione firmum etiam & infallibile ducitur argumentum. Verbum enim Dei, ſivè Traditum ſit, ſivè Scriptum, paris eſt Auctoritatis. Vnde Apoſtolus dicit 2. Theſſal. 2. *State, & tenete Traditiones quas didiciſtis, ſive* *D. Th. 3. p. q. 25. a. 3. ad 4.*

 per

per ſermonem, ſcilicet ore prolatum; *ſive per Epiſtolam*, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam.

2. Traditiones aliæ Divinæ ſunt, à Chriſto, vel à Spiritu Sancto immediatè Apoſtolis concreditæ, ut Libros hos vel illos eſſe Canonicos, Imagines eſſe venerandas, ſeptem eſſe Sacramenta &c. Aliæ dumtaxat Apoſtolicæ, quæ nimirùm non continent Dogmata fidei, ſed ad Ritus, cæremoniaſque pertinent, & quarum obſervantia fidelibus quidem eſt neceſſaria, quamdiù manent in ſuo robore, ſed tamen Apoſtolica Romani Pontificis auctoritate immutari poſſunt: Validè quidem (quamvis non licitè) quando ſunt univerſales & perpetuæ; quales v. g. ſunt jejunii Quadrageſimalis, Obſervationis diei Dominicæ, *&c.* Validè autem & licitè, ſi fuerint dumtaxat particulares & temporaneæ; ut Trinæ immerſionis in Baptiſmo, Abſtinentiæ à ſuffocato & ſanguine, *&c.* Aliæ tandem ſunt Eccleſiaſticæ, quæ vel à Romanis Pontificibus, vel à Conciliis Generalibus circa Ritus & Cæremonias ortum habent, ut ſunt non pauca impedimenta Matrimonium ſeu dirimentia, ſeu impedientia tantùm.

3. Igitur Traditionum Divinarum eadem eſt quæ Scripturæ S. Auctoritas, (& major paſſim Neceſſitas:) Apoſtolicarum, eadem quæ Decretorum Apoſtolicorum: Eccleſiaſticarum, quæ Eccleſiæ Legum.

THESIS TERTIA.

De Summo Pontifice.

NEceſſariò fatendum eſt quod in Regimine totius Eccleſiæ aliquis ſuccedat D. Petro uſque ad conſummationem ſæculi; qui, ſicut ipſe, ſit Summus Paſtor & Caput Eccleſiæ cum ejuſdem poteſtatis amplitudine.

D. Th. l. 4. cot. Gent. cap. 76.

2. Is autem eſt Romanus Pontifex, cui omnes obedire tenentur, & cujus Iudicium in rebus Fidei aut Morum eſt infallibile; ita ut quando ex Cathedra definit, ſive quando ut Pontifex quippiam fide credendum Eccleſiæ proponit, aut mores neceſſarios ad ſalutem concernens præſcribit, nullo caſu poſſit errare, ſive cum Concilio Generali definiat, ſive ſine illo.

Et Opuſc. 1. cont. errores Græcor. Item. 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. & q. 89. a. 9. ad 3. & 3. p. q. 92. a. 1. ad 1.

3. Vndè & *ad ipſius Auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt Fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur: Pertinet etiam facere novam editionem Symboli, nō quidem aliam fidem continentem, ſed eandem magis expoſitam:* ubi nempe id exigeret Eccleſiæ neceſſitas; v. g. *propter neceſſitatem alicujus Hæreſis inſurgentis.*

D. Th. 2. 2. q. 1 a. 10. c. & ad 2.

4. Itaque Locus Theologicus ab Auctoritate Summi Pontificis ex Cathedra quippiam ad fidem vel bonos mores pertinens definientis, irrefragabilis eſt.

D. Thom. Quodlib. 9. a. ult. Et Supplem. q. 55. a. 9. ad 1.

5. At, *In his quæ ad particularia facta pertinent, poſſibile eſt*, & Summi Pontificis, & *Eccleſiæ Judicium errare.*

THESIS QUARTA.

De Concilio Generali.

1 CONcilium Eccleſiaſticum generaliter definiri poteſt, Cœtus Eccleſiaſticorum, præſertim Epiſcoporum, legitima auctoritate ſub ſuo Capite congregatus, ad hoc ut collatis in unum ſententiis decernatur quid ſit de negotio Chriſtianam Religionem, vel mores Chriſtianos concernente, ſentiendum, aut ſtatuendum.

D. Th. 2. 2. q. 58. a. 5. ad 3.

2. Conciliorum Origo partim Divina, partim Apoſtolica eſt. Sex ab Apoſtolis celebrata ſunt; à quorum temporibus octodecim Generalia ab Eccleſia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum,

D. Th. 1 p. q. 36. a. 2. ad 3. Item De Poten. q. 10. a. 4. ad 13.

ſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum, Secundum, & Tertium, Nicœnum Secundum, Conſtantinopolitanum Quartum, Lateranenſe Primum, Secundum, Tertium, & Quartum, Lugdunenſe Primum & Secundum, Viennenſe, Florentinum, Laterenenſe Quintum, & Tridentinum.

3. Præter quæ nulla agnoſcimus univerſim approbata, niſi Sardicenſe, quod tamen unum cum Nicœno primo cenſeri poteſt.

D. Th. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2. Et 2. 2 q. 1. a. 10. c. & ad 2. 4. *Ad ſolam Auctoritatem Summi Pontificis pertinet congregare Synodum Generalem*, ita ut Concilium, niſi ab ipſo convocetur, vel ab alio quidem, ſed de ipſius conſenſu & Auctoritate, vel ſaltem ratihabitione, non poſſit dici eſſe Univerſale.

5. De Jure ſoli Prelati Majores, hoc eſt Epiſcopi, vocandi ſunt ad Concilia, ſolique ipſi habent in illis jus ſuffragii deciſivi. Ex Privilegio & Conſuetudine vocantur ad Concilia Cardinales non Epiſcopi, quidam Abbates, & Ordinum Generales, eiſque conceditur ut ſubſcribant. Vtrùm autem iſti habeant jus ſuffragii deciſivi; ex voluntate Summi Pontificis pendet, qui poteſt hoc eis concedere; cùm alioquin de jure non habeant. Ex aliis Presbyteris & Clericis nulli ſolent vocari ad Concilia, niſi ut res de quibus agitur examinent, veritatemque inquirant, aut aliquid miniſterii exibeant. Imperatores, ac Principes ad Concilia rectè vocantur, nõ quidem ut negotium Eccleſiaſticum definiant, cùm nullam habeant poteſtatem Eccleſiaſticam; ſed tum ut Concilium defendant & adjuvent; tum ut ſint teſtes ac conſcii Decretorum quæ in illo fiunt, atque ita, & libentiùs, & faciliùs curent ea mandari executioni, & tranſgreſſores pœnis coerceant.

6. Non requiritur omnium Epiſcoporum præſentia, ut Concilium aliquod dicatur & ſit Generale, neque etiam certus ac definitus nume-

rus

rus neceſſarius eſt.

7. Porrò, ut aliquod Concilium cenſeri poſſit eſſe Generale, hæc quatuor ſunt neceſſaria.

8. Primò, Vt convocatio fiat per Romanum Pontificem, ſeu de ejus Auctoritate, vel conſenſu, aut ratihabitione.

9. Secundò, Vt convocatio ſit generalis, ita nimirùm ut innoteſcat omnibus ſaltem majoribus Provinciis.

10. Tertiò, Vt etiam congregatio ſit generalis; non quod ſit neceſſe omnes & ſingulos Epiſcopos congregari: (id enim aliquando fieri non poteſt) ſed quia oportet quòd nullus Epiſcopus excludatur undecumque veniat, modò conſtet ipſum eſſe Epiſcopum, & non eſſe excommunicatum.

11. Quartò, Vt ex majori parte Provinciarum Chriſtianarum aliqui veniant; ita tamen ut ſi Concilium celebretur in Oriente, ſufficiat multos ex Provinciis Orientis advenire, & aliquos ex Provinciis Occidentis: Si autem celebretur in Occidente, multi ex Provinciis Occidentis adveniant, & aliqui ex Oriente.

12. Concilio Generali præſidere, per ſe, vel per ſuos Legatos, proprium eſt Summi Pontificis. *D.Th.Loc. ſup.cit.*

13. Fide certum eſt Concilium Generale à Romano Pontifice confirmatum non potuiſſe errare in rebus fidei definiendis, aut in Decretis Morum condendis. Nullatenus admittendum eſt quod Concilium Generale ſit ſupra Papam, ſed dicendum quòd ipſe & Auctoritate, & Jurisdictionis poteſtate ſit ſupra Concilium Generale, adeò ut in terris nullum agnoſcat Superiorem, cui obedire teneatur. *D.Th.Loc. ſup. cit. Quodlib. 4. cap. 13.*

14. Ex quibus patet irrefragabiliter etiam argumentari Theologos ab Auctoritate Concilii Generalis.

THE-

THESIS QUINTA.

De Eccleſia.

D. Th. in Cat. Aur. ad c. 28. Matth.

1 CHRISTVS Matth. 16. dicit *Portas inferi adverſus Eccleſiam non prævalituras.* Et cap. 28. promittit *ſe cum ea futurum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi.* Ex quo ſequitur illam eſse indefectibilem, & in rebus Fidei aut Morum definiendis errare non poſse: Vnde & ab Apoſtolo dicitur *Columna & firmamentum Veritatis* 1. Tim. 3. Proindeque ab ejus auctoritate infallibile petitur Argumentum. *Maximam* quoque *habet Auctoritatem Eccleſiæ Conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda. Quia & ipſa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia Auctoritatem habet: Vnde magis ſtandum eſt Auctoritati Eccleſiæ, quàm Auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris.*

D. Th. 2. 2. q. 10. a. 12. c.

2. Eſt porrò Eccleſia militans hominum fidelium ſocietas ſub uno Capite Chriſtô, & ejus in terris Vicario Romano Pontifice ordinata & cohærens. In ea proindè non ſunt Cathecumeni, Apoſtatæ, Schiſmatici, Excommunicati, nec propriè Hæretici quantumvis occulti: Nec ſoli, nec omnes univerſaliter prædeſtinati.

3. Eccleſia Vna eſt, Sancta, Catholica, & Apoſtolica: Atque hæ ſunt quatuor Notæ quæ Romanæ, eique ſoli conveniunt Eccleſiæ.

THESIS SEXTA.

De SS. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus.

¶ SAnctorum Patrum nomine, intelliguntur Veteres Catholici Sanctitate & doctrina Illuſtres, qui Eccleſiam plantaverunt, ædificarunt,

ac nutrierunt ut creſceret in Corpus perfectum; & à quibus propterea reliqui Fideles rectè vivendi inſtituta & doctrinam acceperunt; qui nimirùm *fuerunt docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi Defenſores adverſùs garrulas novitates* (ut loquitur Auguſtinus, lib. 2. cont. Julian. cap.ult.) atque in fide cõmunioneq; Eccleſiæ perſeverarunt. Verbo: Solus ille verè ac propriè Pater eſt Eccleſiæ, qui cum Sanctitate, & Doctrina competentem habet Antiquitatem.

2. Quæ Divo Thomæ Aquinati in primis competere, clariſſimum eſt. Ipſum immò meritò velut Sanctorum Patrum Compendium ſuſpexeris, ſi vel ſolam ipſius Summam Theologicam ſpectaveris, in qua Eccleſiæ Catholicæ doctrinam univerſam, & quidquid in veterum Patrum monumentis eſt dignum obſervatu, mira brevitate complexus, pari ſoliditate explicat & perſpicuitate.

3. Sanctos Patres plurimùm Auctoritatis habere, tam in rebus fidei aut morum, quam in Scripturæ Sacræ Expoſitionibus, indubitatum eſt.

4. Quanta autem ſit unius aut plurium Patrum Auctoritas, ſequentibus Regulis, per Franciſcum Sylvium ex D. Thoma & Melchiore Cano deductis, rectè definitur.

5. Prima, SS. Patrum Auctoritas in iis quæ naturali lumine cognoſcuntur, non plus addit certitudinis, quàm ratio cui nituntur. *D. Th. in 2. Diſt. 14. a. 3. ad 1.*

6. Secunda, Omnium Patrum unanimis conſenſus in eo genere quæſtionum quæ ad fidem non pertinent, quamvis non omninò certam fidem faciat; facit tamen probabiliſſimam, ac moraliter certam.

7. Tertia, Vnius aut paucorum Patrum auctoritas in Scripturis aut Fidei dogmatibus, non facit fidem omninò certam.

8. Quarta, Quo plures & graviores Patres in eodem dogmate aſſerendo, vel in eadem Scripturæ

ſententia ſimiliter explicanda conveniunt, eò plus probabilitatis habet id quod aſſeruerunt.

9. Quinta, quando unus Patrum ex certa, ſibique notiſſima regula veritatis, aut ex conſenſu Eccleſiæ ſibi noto, doceret aliquid tamquàm fidei dogma recipiendum, aut ex ipſius Eccleſiæ Decretis & definitionibus ejus ſenſum & conſenſum demonſtraret; ejus quidem Auctoritas per ſe ſumpta non faceret plenam fidem, neque obligaret omnes fideles ad aſſertionem ejus tenendam velut dogma fidei; eſſet tamen ſufficiens ut ipſe ab omnibus honorificè ſuſciperetur tamquàm teſtis veritatis, nec liceret oppoſitum tenere, niſi propter oppoſita fundamenta magni momenti.

10. Sexta, Auctoritas plurium Sanctorum Patrũ non ſimpliciter aſſerentium, ſed opinantium, aut ex propria ſententia loquentium, non verò ex certis Scripturæ, Conciliorum, vel Traditionum Decretis, tantùm probabile facit argumentum. Vnde dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum: *Solis eis Scripturarum Libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum Auctorem eorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam: Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate, Doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt.*

D. Th. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.

11. Septima, Multorum Patrum Auctoritas aſſerentium aliquod Dogma, & loquentium ex Scripturæ, vel Conciliorum Definitionibus, non firmum efficit argumentum, ſi aliqui alii Patres eis diſſentiant.

12. Octava, Communis omnium Patrum intelligentia in rebus fidei, & Scripturarum Expoſitionibus, argumentum facit irrefragabile.

13. Quibus addere licet; Eorum Patrum maximè valere, attendique debere in ſpeciali materia Auctoritatem, qui à Deo ſpecialiter deſtinati fuere, ut illam elucidarent, & contra Hæreticos propugna-

pugnarent. Quemadmodum v.g. Hilarius & Athanaſius Verbi Divini Conſubſtantialitatem contra Arianos; Auguſtinus Gratiæ Medicinalis Chriſti neceſſitatem contra Pelagianos; & D. Thomas univerſa propè Fidei Dogmata contra quoſvis Hæreticos; ex ſpeciali Dei dono egregiè propugnarunt, atteſtantibus Summis Pontificibus Hormiſda, Ioanne II. Paulo V. & Innocentio XII.

14. Cæterùm antiquos Patres cautè quandoque eſſe legendos rectè monet D. Thomas, quia, inquit, *Antiqui Doctores & Sancti emergentes errores circa fidem ita perſequebantur, ut interdum viderentur in errores labi contrarios.* Quod de illis potiſſimum intelligi debere qui antè exortam Pelagii hæreſim ſcripſere, patet ex Auguſtino quem ibidem adducit, & alios quos proferre parati ſumus. *D. Th. in Cap. 1. Ioan. Lect. 7.*

15. Solus ille dicendus & habendus eſt ſtrictè & propriè Doctor Eccleſiæ quem propter vitæ ſanctitatem, eique conjunctam admirabilem doctrinam Eccleſia Sanctorum ſuorum Doctorum numero adſcripſit, Fidelibuſque proponit tamquàm Magiſtrum.

16. Atque ita S. Thomas Quintus Eccleſiæ Doctor renunciatus eſt, & ob vitæ puritatem, doctrinæque excellentiam DOCTORIS ANGELICI titulum conſecutus.

THESIS SEPTIMA.
De Doctoribus, ſeu Theologis Scholaſticis, & Canoniſtis.

1 Doctores, ſeu Theologi Scholaſtici ii ſunt qui fidei morumque ſalutarium doctrinam methodicè proſequuntur, hoc eſt, more quaſi Dialectico, & ad diſciplinam magis accomodato. Munus quippè veri Theologi eſt, ex fidei Articulis tamquam ex principiis per argumentatio- *D. Th. in Prol. Sum. Theolog.*

 nem

nem naturæ conſentaneam Concluſiones deduce-re; ſparſa ferè in immenſum in Litteris Sacris ac Sanctorum Patrum ſcriptis dogmata ſeligere, ſelectaque certa methodo diſponere, pugnantia invicem, aut in ſpeciem adverſa conciliare, in iis aut Apoſtolorum Traditionibus obſcurè contenta velut è tenebris in lucem eruere, & explicare, atque contra Hæreticos defendere, tum Auctoritate Scripturæ Sacræ, tum Patrum, & Conciliorum Decretis; tum (ubi opus fuerit) Philoſophorum (ſub quibus rationem naturalem complectimur) doctrinis; ac inſuper oſtendere quare argumenta quæ ab Hæreticis ſolent contra Fidem, fideique dogmata objici, non benè concludant: ſed in primis fidei rationem & Philoſophiam ſubijcere.

2. Sed nemo feliciùs D. THOMA, aut majori Eccleſiæ bono, hæc quæ enumeravimus, Theologi munia implevit, in ea potiſſimùm Operum ſuorum Parte quæ *Theologiæ Summa* inſcribitur, de qua ita Poſſevinus in Apparatu ſacro verbo THOMAS. *Summa*, inquit, *Divi Thomæ in tres tomos diviſa, quingentas & duocecim Quæſtiones, ac bis mille ſexcentos & quinquaginta quatuor Articulos continens, quæ omne tulit punctum, & reliquis omnem videtur præcidiſſe viam, qua aliquid anguſtius, aut plenius, aut brevius fieri poſſe unquam putent; ut divinitùs pronuntiaſſe exiſtimetur hæc verba Joannes hujus Nominis XXII. Pont. Max. cum D. Thomam in Sanctorum Catalogo ſcribi mandaſſet: Nempè, Niſi B. Thomas alia edidiſſet Miracula, unuſquiſque Articulus eorum quos ſcripſit, habendus pro Miraculo eſſet. Sanè methodus incomparabilis, ſtylus brevis & perſpicuus; nexus autem rerum tractatarum tantus, ut aliud ex alio, poſterius è priori non ſolùm pendeat, verùm etiam lucem & robur accipiat.* Ita ille. Vnde D. Thomas Theologorum atque Doctorum Scholaſticorum Principis Titulo jure decoratur.

3. Ac

3. Ac ut tanto Scholarum Principi obſequiũ præſtemus, præter in hoc libello contentas theſes; parati ſumus ſuſtinere veritates omnes, quas ipſe in ſuæ Summæ Primâ, & Tertiâ parte Scholaſticè docuit, necnon, quæ à Thomiſticæ Scholæ Theologis, juxtà ejus mentem, reſolvuntur, in Materiis præſertim,

De Unitate, & Trinitate Dei.
De Prædeſtinatione, & Reprobatione.
De Angelis.
De Incarnatione Dei.
De Gratiâ, Scientiâ, & Potentiâ Animæ Chriſti.
De Sacramentis.

4. Concors omnium Theologorum Sententia in rebus fidei, aut morum ad ſalutem pertinentium, Locus eſt ſummæ, & indubitatæ auctoritatis.

5. In his quæ ad fidem pertinent, Juriſconſultorum auctoritate Theologus non eget: Quin potiùs eorum Titulorũ expoſitionem qui de fide decernunt, Legiſperitus à Theologo mutuare debet. *D. Thom. Quodlib. 11. a. 9. ad 1. & 2. 2. q. 88. a. 11. c.*

6. In his etiam quæ ad mores pertinent, quatenùs vel Lex Evangelica, vel ratio naturalis de his præſcribit, Juriſconſultorum Auctoritas parum, aut certè nihil Theologo conferre poteſt: Quin rectam & ſanam earum rerum cognitionem Jurisperiti à Theologis mutuam accipient.

7. At in illo genere rerum, ubi ſcilitet de moribus Eccleſiæ, & Religionis Inſtitutis per Leges tantùm Pontificias decernitur: In illo etiam ubi pœnæ Juris præfiniuntur, Juriſperitorum communis conſenſus, concorſque ſententia, Theologo magnam fidem facere debet.

THE-

De Ratione Naturali.

1 *Licet locus qui fundatur ſuper Ratione Humana, ſit infirmiſſimus ..... Utitur tamen* Theologus *etiam Ratione Humana: Non quidem ad probandam fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) ſed ad manifeſtandum aliqua alia quæ traduntur in Doctrina* Theologica. *Cum igitur Gratia non tollat Naturam, ſed perficiat, oportet quod naturalis ratio ſubſeruiat fidei: ſicut & Naturalis inclinatio voluntatis obſequitur Charitati. Unde & Apoſtolus dicit* 2. *Cor.* 10. *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

D.Th. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.

2. Unde non probatur nobis modus ille dicendi quorumdam, tàm Theologorum, quàm Philoſophorum, qui Principia quædam lumine naturali nota, ajunt, locum non habere in Fidei myſteriis, e. g. illud, quod eſt totius artis ratiocinandi baſis: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, & alia ejuſmodi. Si enim Principia illa ſecundùm veram eorum notionem accipiantur, & exponantur, non officiunt, imò ſubſerviunt Fidei veritatibus confirmandis, iiſque tuendis ab Infidelium objectionibus rationi naturali nixis, quarum ideò nulla eſt, quæ evidenter negativè ſolvi non poſſit. *Quia* ergò *Veritas in ſe ipsâ fortis eſt, & nullâ impugnatione convellitur; oportet intendere ad oſtendendum, quòd Veritas Fidei Ratione ſuperari non poſſit.*

S. Th. 4. cont. Gent. c. 10.

3. Et hoc quidèm juxta præclaram illam *S. Auguſtini* regulam l. 1. de Geneſi ad literam, cap. 21. *Quicquid homines de naturâ rerum veracibus documentis demonſtrare potuerint, oſtendamus, noſtris Literis non eſſe contrarium .... Quicquid autem .... Catholicæ Fidei contrarium protulerint,*

rint, ... aliquâ facultate oſtendamus . . . eſſe falſiſſimum. Quò ſpectat & aurea illa ſententia Epiſt. 7. ſeù 143. edit. PP. Benedict. ad *Marcellinam* datæ: *Si ratio contrà Divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veri ſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt. Rursùs ſi manifeſtiſſimæ, certæque rationi Scripturarum ſanctarum objicitur auctoritas . . . . qui hoc facit, non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius obiicit Veritati.*

4. Hinc adversùs *Pomponatium*, & *Cremoninum* certò certiùs aſſerimus, nullum Fidei contrarium errorem, verum eſſe poſſe ſecundùm veram Philoſophiam, & è converſo, nullum veræ Philoſophiæ contrarium errorem verum eſſe poſſe ſecundùm Fidem Catholicam; ac proinde jure meritò, anno 1277. de mandato *Joannis XII.* P.M., *à Stephano Templier* Pariſienſi Epiſcopo, hunc inter alios quorumdam malè philoſophantium, palmarem errorem proſcriptum fuiſſe: *Quædam ſunt vera ſecundùm Philoſophiam, ſed non ſecundùm Fidem Catholicam.* Qui error, ejuſque damnatio refertur in Biblioth. Patrum.

5. Sed quid luculentius Decreto, quod *Leo X.* ſacro approbante Concilio Lateranenſi V. ſeſs. VIII., edidit? En ejus verba Profeſſorum, in publicis præſertim Archigymnaſiis docentium, altâ mente reponendum. *Cum itaque* (inquit Pontifex M.) *diebus noſtris . . . . de naturâ præſertim Animæ rationalis, quòd videlicèt mortalis ſit, aut unica in cunctis hominibus, nonnulli temerè philoſophantes, ſecundùm ſaltem Philoſophiam, verum id eſſe aſſeverent, contrà hujuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus . . . . Cumque Verum Vero minimè contradicat, omnem aſſertionem Veritati illuminatæ Fidei contrariam, omninò*

fal-

ſalſam eſſe definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictiùs inhibemus. Inſuper omnibus, & ſingulis Philoſophis .... diſtrictè præcipiendo mandamus, ut cum Philoſophorum Principia, *aut Concluſiones, in quibus à rectâ Fide deviare noſcuntur, Auditoribus ſuis legerint, ... teneantur hujuſmodi Philoſophorum argumenta, cum omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere, & reſolvere.*

6. Quod his poſtremis Concilii verbis continetur mandatum, anteà eximiè impleverat, *S.Thomas* Aquinas, qui Philoſophiam Eccleſiæ uſui, & obſequiis mancipaverat. Extrà Eccleſiam errabat illa extorris, ut olim Agar è domo Abraham ejecta, quòd ſuperbè in Saram inſurrexiſſet, ac Dominæ imperio parère contempſiſſet. Sacræ Doctrinæ refugiebat famulari, imò eius imminuere maieſtatem nitebatur perduellis Philoſophia. Philoſophos, *Patriarchas Hæreticorũ, omnes hæreſes à Philoſophiâ ſubornatas*, Chriſtiani Doctores Tertulliani verbis, conclamabant. Sed ut Angelus ad officium revocavit Agar, & in domum Abrahæ reduxit, ipſi iubens, ut Dominam coleret, eique humiliter ſubeſſet; ita Chriſtianarum Scholarum Angelus Philoſophiam Ariſtotelicam in Eccleſiam reduxit, ipſamque eius uſibus conſecravit, ut iam ultrò Theologiæ ancilletur Philoſophia, Fideique Divinæ Humana Ratio.

THESIS NONA.

De Philoſophis.

D.Th. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.

1 E*Tiam auctoritatibus Philoſophorum utitur* Theologus, *ubi per rationem naturalem veritatem cognoſcere potuerunt: ſicut* Paulus *Actuũ 17. inducit verbum Arati, dicens: ſicut & quidam Poëtarum veſtrorum dixerunt, Genus Dei ſumus.*

Sed

Sed tamen Theologus *hujuſmodi auctoritatibus utitur quaſi extraneis argumentis, & probabilibus.*

2. Quamvis enim Philoſophia rationes aliquas probabiles è rebus ipſis naturalibus deſumptas præbere valeat Theologo; validũ tamen, & efficax argumentum ex Philoſophorum doctrinis deſumi non poteſt ad Fidei myſteria probanda, quæ ſolius Dei revelantis, & Eccleſiæ proponentis auctoritate nituntur.

3. Imò cavendum potiùs Theologo à quibuſdã Philoſophicis ſyſtematibus, Eccleſiæ præſertim cenſurâ inuſtis, quorum Patroni Scripturæ Sacræ ſenſus ad ſuas opiniones, non iſtas ad illos, trahere, & conciliare fruſtrà conati ſunt. Inter quos *Copernicus*, & *Galilæus* meritò annumerandi videntur, qui reluctantibus apertis Scripturæ S. textibus, tumulatam *Pythagoræ* Poſitionem de Terræ mobilitate, & Solis ſtabilitate, ad auras, malâ tamen Avi, revocarunt, magno Catholicæ Fidei periculo.

4. Ad eamdem ferè claſſem amandandos, bonâ veniâ, dicimus, ſuâ alioquin in Mathematicis ſtudijs laude dignos, *Gaſſendum*, & *Carteſium*, Athomiſtarum illum, Particulantium, (ut aiunt) iſtum, recentes Coriphæos, qui demptis tamen manifeſtis erroribus *Epicuri*, & *Democriti* opiniones è tenebris evocarunt.

5. Horum itaque *Gaſſendi*, & *Carteſii* in pluribus *Ioannis de Mercuriâ*, & *Nicolai de Vltricuria* à Sede Apoſtolica damnatis erroribus prædam nata Syſtemata, meritò dicuntur Fidei incõmoda, imò & periculoſa, ex iis namque (quod ad hominem, ut inquiunt, probare parati ſumus) per legitimam, mediatam ſaltem, conſequentiam infertur.

6. Primò. Nec Cœlum, nec Planetas, nec Terram verè fuiſſe à Deo creata.

7. Secundò. Dari aliquod, quod eſt vera res, &

 ens

ens reale; & tamen independens à Deo.

8. Tertiò. Corpus *Chriſti* non eſſe totum ſub totâ, & totum ſub qualibet parte Hoſtiæ cõſecratæ: Non fieri perfectam tranſelementationem, ſeu veram Tranſubſtantiationem Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinẽ *Chriſti*: *Eucharistiam* non eſſe modo permanenti verè Sacramentum, eo præſertim tempore, quo in Sacrario, & Pixide, ab omnium oculis, tactu, & guſtu ſemota, aſſervatur: per *Eucharistiæ* manducationem, ipſum *Chriſti* corpus frangi, dilaniari, & veluti Capharnaitico modo dentibus atteri: Patres, qui contrà Eutychianos diſputantes, ſuppoſuerunt, in *Eucharistiâ* remanere, poſt conſecrationem, aliquod ens phyſicum, & reale à *Chriſti* corpore diſtinctum, vel illuſos fuiſſe, vel illudere voluiſſe.

9. Quartò. Poſſe irrideri (ut reipsâ irridentur à *Gaſſendo*) in re Sacramentorum, terminos *Materiæ*, & *Formæ*; licèt, multis ab hinc ſæculis, totius Eccleſiæ uſu conſecratos.

10. Quintò. Mortuorum Reſurrectionem eſſe opus naturale, non miraculoſum; ſeu eſſe moraliter, non phyſicè, viribus naturæ impoſſibile, quod ultrò concedit Franciſcus Caro.

11. Sextò. Animam Rationalem (ſeclusâ Fide) non eſſe veram Formam noſtri corporis, neque eſſe immortalem.

12. Septimò. Chriſtum non fuiſſe verè, & ſimpliciter mortuum.

13. Vltimò. Spineam Coronam eſſe unum quid continuum cum *Chriſti* capite, adeoque partem; & conſequenter ipſius etiam Coronæ Imaginem adorandam eſſe Latriâ.

14. Hinc meritò, propter hujusmodi conſectaria, imperata fuit *Andreæ Piſſini*, magni alioquin ingenij viro, Retractatio, quam Romæ, anno 1676., edidit coram Eminentiſſimis S. R. & Vniverſalis Inquiſitionis Cardinalibus, qui pariter

ejus

ejus libri- *Naturalium Doctrina*-inſcriptum, diris devoverunt. Huius Retractationis exemplar, Romanis typis evulgatum, conſulant, ſi placet, novæ Philoſophiæ ſectatores.

15. Fatemur quidem, ab iis ſingulas ferè illas ejurari conſecutiones; verùm cū earum virtuales præmiſsas conſtanter doceant, cuilibet illorum jure dicere poſsumus verbis *Auguſtini* ad *Pollentium* de Adult. Conjug. l.6. cap.9.: *Hæc tu quidem non ſentis: ſed hoc ſequitur ad illa, quę ſentis. Muta ergò antecedentia, ſi vis cavere ſequentia.*

16. Utinam cum *Petro Abælardo* ad *Heloiſſam* ſcribente, & ad ſaniora conſilia reverſo, quiſque illorum diceret: *Nolo ſic eſſe* Philoſophus, *ut recalcitrem* Paulo: *non ſic eſſe Ariſtotelis*, (Gaſſendi, vel Carteſii) *ut ſecludar à Chriſto.*

17. De Ethnicorum Phyloſophorum ſyſtematibus in Chriſtianorum uſum traducendis, ita S. Hieronymus epiſt. 146. *Sapientiæ* (Gentilium) *typus in Deuteronomio* (21. 11. 12.) *ſub mulieris captivæ figurâ deſcribitur, de qua Diuina vox pręcipit, ut ſi Iſraëlites eam habere voluerit uxorem, caluitium ei faciat, ungues pręſecet, & pilos auferat, & cum munda fuerit effecta, tunc tranſeat in Victoris amplexus... Id & nos facere ſolemus, quando* Philoſophos *legimus.... ſi quid in eis utile reperimus, ad noſtrum dogma convertimus; ſi quid verò ſuperfluum, de Idolis, &c. hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc, in unguium morem, ferro acutiſſimo deſecamus.*

THESIS ULTIMA:

De Hiſtoria Humana.

1 EX Hiſtoria humana eò veriſimiliora eruuntur Argumenta, quò ejus Auctores ſunt accurati. Nihil autem refert, ſive hiſtoria illa ſit per *D. Th. in 1. ad Tim. 1. Lect. 2.*

 Au-

Auctores locupletes ſcripta, ſive de gente in gentem tradita; modò non ſuperſtitioſè, atque aniliter, ſed gravi, conſtantique ſibi ratione narretur.

2. Poſtponendi porrò ſunt illi Auctores, qui abſque delectu non tam curarunt quid ſcriberent, quàm ut nihil omitterent, quibus credimus leviter, ſi citò.

3. Aliis verò gravibus, doctis, piis, & emunctioris naris Hiſtoricis fidem detractare, faſtidioſi eſt & moroſi; præſertim ſi plures fide digni in eandem rem geſtam enarrandam concurrant, cum in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Aliàs ſi homines hominibus non crederent, humana ſocietas interiret.

4. Vt autem illiberalis eſt ingenij, viris maximis derogare fidem, & fabulæ loco habere hiſtoriam locupletiſſimis Scriptorum teſtimonijs comprobatam, niſi ipſos deceptos fuiſſe, ex antiquioribus monumentis, aut invictis argumentis ex Hiſtoriâ petitis demonſtretur; ita numerus Scriptorum nullius eſt ponderis ad auctoritatem faciendam, cum certiſſimis documentis, falſi convincuntur, & fons indigitatur, ex quo figmenta hauſerunt.

5. Aliquando enim accidit, quod Auctorum aliquis, rem falſo rumore evulgatam, primus ſcriptis prodiderit, cæterique ſubindè ex illo abſque examine exſcripſerint: quod Hiſtoricis illis contingit, qui ſequuntur, more Caprarum, antecedentem gregem, euntes, non quò eundum, ſed quò itur, ut cum Senecâ loquamur.

6. Ex quo palàm fit, quàm ridiculè nonnulli, aliquod eſſe verum, pertinaciter contendant, quia id referunt Scriptores plurimi, quorum opera typis edita ſunt; vel quia id, vel lapidibus inſculptum, aut picturâ aliquâ expreſſum cernitur. Quaſi & *Joannæ Papiſſæ* fabula, & fictitius *Cyriaci* Pontificatus, aliaque eiuſmodi figmenta non referan-

rantur à plurimis Scriptoribus; & quaſi fabulæ,& mendacia picturis, exprimi, lapibus inſculpi, aut ære incidi non poſſint; & quidem eò commodiùs, quò erubeſcere lapides non queunt, nec colores pudore ſuffundi.

7. Ad judicium autem ferendum de fide alicujus Hiſtorici, nedum expendere oportet, an rei narratæ coævus, aut ſuppar ſit; ſed inſuper, an ipſius interſit, rem ſic extitiſſe, quemadmodum ab eò narratur. Ob hanc rationem *Euſebij Cæſarienſis* fides in jis, quæ ad Arianos; & *Socratis*, ac *Sozomeni* in jis, quæ ad Novatianos ſpectant, ſuſpecta meritò habenda eſt, imò plerumque falſa.

8. Ex ratione temporum petita in rebus Hiſtoricis argumenta, ad fidem faciendam, firmiſſima ſunt; quique iis nituntur, difficiliùs à veritate recedunt.

9. Inficiale argumentum antiqua monumenta diruere nuſquam valet: undè negativas probationes in quæſtionibus Facti nemo eruditus non exſufflat, ubi argumenta poſitiva ex adverſo militant, ex Auctorum coævorum, aut ſuppariam teſtimonijs deprompta.

10. Denique, quod omnes Eruditi, *Vno, eodemque ſenſu, manifeſtè, frequenter, perſeveranter, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id prò indubitato, certo, ratoque habendum*; quidquid verò privatus aliquis, quantumuis eruditus, Scriptor, *Præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, occultas, & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ, & generalis ſententiæ auctoritate ſecretum eſse*, inquit *Lirinenſis* in Commonit. 1. adv. Hæreſes cap. 28.

11. Sed Eccleſiaſticæ præſertim hiſtoriæ Theologus incũbere debet, multa enim è theſauris ſuis ea ſuppeditat, non ſolùm grata, ſed neceſſaria, quibus qui caret, in re Theologicâ ſæpe ſæpius ceſpitet, neceſſe eſt. Ex eâ diſcitur, quid antiquem ſit,

quid-

quidvè novum; quæ dogmata, ſivè Fidei, ſivè Morum; quæ Diſciplinæ capita decreta fuerint. Diſcitur etiam, quid conſilij capiendum, quidve agendum in arduis Religionis negotijs pauca enim nùnc occurrunt, quæ aliàs non occurrerint. Diſcitur demùm, quâ occaſione nonnulla in Concilijs ſtatuta fuerint; quam ob cauſam aliqua à Patribus, ſcripta ſint; ac proinde quinam ſit genuinus, tùm Conciliorum, tùm Patrum ſenſus. Sed de Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ uberiùs in ſequentibus.

PROŒMIUM

De Hiſtoria Eccleſiaſtica, ejuſque Partitione.

Hiſtoria Eccleſiaſtica ea eſt, quæ nedùm res geſtas narrat, quæ ſubſequutæ ſunt, verùm etiam, quæ Chriſti Domini adventum præceſſerunt. Sicut enim Chriſtiana Religio Salvatoris Natalem nedùm anteceſſit, ſed cum primis hominibus orta eſt, & floruit apud Viros Sanctos, qui tempore legis Naturæ, & legis ſcriptæ vixerunt, (quod cuicunque dubitanti palam probare paratiſſimus;) quidni pariter Eccleſia, quæ Chriſtianorum eſt Congregatio, non erit dicenda extitiſſe ſub Chriſto Capite, non qui in carne jam venerat, ſed qui venturus firmâ Fide credebatur? Bifariã itaque dividitur Hiſtoria Eccleſiaſtica juxta Tempora, quæ ante, & poſt Chriſtum Servatorem Natum effluxerunt; ea dicitur Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris, hæc Novi Teſtamenti. *D. Th. 3. p. q. 8. a. 3. ad 3. q. 27. a. 3. & q. 52. a. 5.*

2. Tempus autem, quod creationem Mundi, ejuſque per Filium Dei carne circumdatum, reparationem interceſſit, partimur in ſex Epochas, ſeù Ætates. Prior ſcilicet Ætas ab initio temporis adDiluvium excurrit. Altera à fine Diluvii ad vocationem Abrahami. Tertia à vocatione Abrahami ad egreſſum Iſraëlitarum ex Ægypto. Quarta ab egreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto ad ædificationem Templi Salomonici. Quinta ab ædificatione Templi ad captivitatem Babylonicam. Sexta à captivitate Babylonicâ ad Nativitatem Chriſti, qui homines è duriori longè, & infœliciori captivitate eruit.

3. Eccleſiaſticam verò poſt Chriſtum Hiſtoriam in ſeptemdecim ſæcula diſtribuimus, ac Servatâ Temporum ſerie cuilibet Ætati, & Sæculo aliquas ſubnectimus Theſes ſelectiores, eidem Ætati, & ſæculo illigatas. Undè ſit.

ÆTAS PRIMA:

Theſis 1.

D. Th. 1. p. q. 46. a. 3.

1 COElum, & Terram *in Principio* creata ſcripſit Moſes, ut ante omnia, & in ipſo Mundi, ac Temporis exordio conditas ſignificaret. Principii etiam nomine Filius Dei congruè intelligitur; eaque expoſitio apud Antiquos pervagata eſt.

D. Th. 1. p. q. 72. a. unico.

2. Inter omnis generis animalia, quæ Deus ex Terrâ produxit, nullum per ſe noxium, aut inutile eſt.

Ibid. & per totam q. 93.

3. Homo ad imaginem Dei ſecundùm Animam conditus eſt. In quo ſita ſit, non una eſt Patrum ſententia.

D Th. 1. p. q. 74. a. 2.

4. Etſi propter S. Auguſtini reverentiam nulla ſit inurenda nota erroris illi ſententiæ, quæ myſticam, & figuratam, non propriam putat ſex dierum, quibus Mundum à Deo conditum Moſes narrat, ſignificationem; longè certè probabilior eſt, & S. Scripturæ magis conſentanea ſententia, quæ ſex dierum intervallo perfectum à Deo Mundi opificium interpretatur. Autumno autem Mundum eſſe conditum, probabilius eſt, quàm vere primo.

D. Th. 1. p. q. 102. a. 1. & 2.

5. Paradiſus corporeus quidam locus fuit, oculis, ac ſenſibus ſubjectus; arcanarum licet, ac ſpiritualium rerum adumbrans rationes. Undè meritò à Patribus damnantur, qui in Moſaicâ Paradiſi deſcriptione nihil propriè, ſed allegoricè omnia intelligenda putarunt. Quâ verò in regione conſitus fuerit, obſcura certè quæſtio; probabilior eorum ſententia, qui in Arabiâ Felice, vel Meſopotamiâ,

aut

aut circà Babyloniam in Meſopotamiæ limite collocatum fuiſſe cenſent. Utrum etiamnum ſuperſit, incertum; probabilius eſt, non extare amplius quoàd cultum, & amænitatem loci.

6. Cujus ſpeciei fuerit Arbor ſcientiæ boni, & mali, incertum. Ab eventu nomen accepiſſe, quàm à vi quadam naturaliter inditâ, longè probabilius. Arbor autem vitæ ita ab effectu nuncupata eſt, quòd ad vitam in perpetuum propagandam conduceret, non naturali virtute, ſed divinitùs acceptâ: Eaque arbor, corporea licet, ac ſpectabilis, ſimul erat myſterijs onuſta. D.Th. 1.p. q. 97. a. 4.

7. Adam primùs omnium hominum fuit: undè Præadamitarum ſyſtema verbo Dei planè contrarium eſt, nec ullo probabili nititur argumento. Quod autem à Moſe narratur de Mulieris productione ex coſtâ Adami, hiſtoricè, & ſecundùm literæ ſenſum intelligendum eſt: & Cajetani ſententia, ad metaphoricum, & parabolicum ſenſum narrationem illam detorquentis, ut minùs conſona verbo Dei, meritò reiicitur. D. Th. 1.p. q. 92. a. 3.

8. Eva ſeducta eſt à Diabolo veri Serpentis organo utente. Undè nec S. Cyrilli ſingularis opinio probatur, ſpeciem dumtaxat, & ſimulacrum Serpentis Ævæ à Diabolo exhibitum fuiſſe tradentis, non veri Serpentis corpus ad tentationem aſſumptum: & figmentum Cajetani reiicitur, aſſerentis, tentationem Ævæ interna tantùm ſuggeſtione peractam à Dæmone, qui Serpentis nomine à Moyſe metaphoricè ſignificetur. D. Th. 1.p. q. 94. a. 4

9. Adamum peccato ſuo per pœnitentiam expiato ſalutem æternam conſecutum, dogma Catholicum eſt contrà Tatianum, & Encratitas, Scripturæ S. & Traditionis auctoritate confirmatum. Per fidem verò Chriſti mediatoris, cujus ipſi facta poſt lapſum promiſſio à Deo eſt, ipſum ſalvatum nemo dubitet. D.Th. 3.p. q. 27. a. 1. & q. 52. a. 5

10. Inſolens Lamechi Polygamia, qui plures ſi-

D.Th.in 4. d.33.q.1.a. 3.q.3.a.5. & alibi.

mul Uxores primus duxiſſe legitur, Patriarcharum qui poſt Diluvium vixere, exemplis à crimine vindicari non poteſt, ut nec illorum Polygamia Lamechi exemplo damnari.

D.Th. 1.p. q.102.a.2. & 3.p.q. 49.a.5.

11. Henoch mortuus non eſt, ut Rabbini quidam aſſerere non dubitarunt, ſed à Deo tranſlatus vivit: Quo in loco, incertum. Licet autem Henoch propheta fuerit, & ſuæ ætatis hominibus ultimum Iudicium vaticinatus ſit, librum tamen Henoch à veteribus quibuſdam Patribus laudatum velut Apocryphum conſultiùs alii rejecerunt.

D.Th.1.p. q 96.a.1. & 1.2.q.102 a.6.

12. Carnium eſum Antediluvianis hominibus inſuetum etſi plerique Patres aſſerant, à Deo tamen prohibitum fuiſſe, ex Scriptura S. certò colligi non poteſt.

D. Th. in 1.d.4.q.1. a.1 ad 2. & 1.p.q.51 a.3.

13. Veterum Patrum plurimi, Angelos mulierum ſpecie captos, ſtupri cum iis conſuetudinem habuiſſe ſenſerunt, & ex nefando illo concubitu ortos Gigantes: ſed hanc opinionem, & Scripturæ S., & aliorum Patrum convenientiùs cum ea ſentientium auctoritas refellit. Pariter abſurdum commentum eſt, Antediluvianos Gigantes Dæmones ſub humanâ ſpecie fuiſſe; homines enim fuere, non robore ſolùm, feritate, & violentiâ, aliiſque vitiis inſignes, ſed inſolenti ſtaturâ, & corporis proceritate ab hominibus reliquis diſtincti.

14. Quoàd annos Patriarcharum Antediluvianorum Hebraici textus Chronologiæ potius adhærendum, quàm 70. Interpretum calculis. Hos autem annos tam breves fuiſſe, ut decem ex illis unum ex noſtris non ſuperarent, falſiſſimum eſt: hujuſque ſententiæ falſitas documentis evidentiſſimis oſtenditur. Pares ergò fuere noſtris. Neque tamen incredibilis eſt Moſis de tantâ longævitate narratio.

15. Quamvis Moſes, nec Geometricos, nec Sacros cubitos, ſed communes, & vulgares in deſcribendis Arcæ dimenſionibus intellexerit, tan-

ta

ta nihilominus fuit Arcæ capacitas, & amplitudo, ut omnium ſpecierum tot animalia, quot in eam introducta Scriptura commemorat, cum alimentis congruis, Noë, ac familiam, cum annonâ, & utenſilibus, facilè contineret.

16. De Arcâ, atque Diluvio nec illis eſt conſentiendum, qui ſolam hiſtoriam recipiunt, ſine allegoricâ ſignificatione; nec illis, qui ſolas figuras defendunt repudiatâ hiſtoriæ veritate. Arca porrò typus mirabilis fuit Chriſti, & Eccleſiæ, ſicut aquæ Diluvii Baptiſmi figura extiterunt. *D. Th. in prolog. ſup. 1. ad Theſſalon.*

17. Noëticum Diluvium univerſale fuit, non Paleſtinæ ſolius, ſed totius Terræ. Quòd autem aliqui ex iis, qui Diluvio perierunt, damnationem æternam evaſerint, gratis aſſeritur.

ÆTAS SECUNDA:

1 EBrietas Noë non ſolùm innoxia, ſed & myſtica fuit. *Theſis 1.*

2. Cainan poſt diluvianũ, inter Arphaxad & Sale, à S. Lucâ cap. 3. ſui Evangelij, collocatum, non eſſe inſititium, dicimus, contrariâ abdicatâ opinione, ex quo vidimus hanc egregiè refutatam à ſapientiſſimo Auctore libri *de Myſterijs, & Annis Chriſti.* *D. Th. 2. 2. q. 150. a. 2.*

3. Quamvis communis ſit veterum Patrum ſententia, linguas ex Babelicâ confuſione 70. circiter, vel paulò plures ortas eſſe, minùs tamen probabilis eſt. Earum numerum definiri non poſſe, longè probabilius. Hoc certum eſt, quòd ante Babelicam confuſionem una erat omnium hominum lingua. Priſtinam illam autem, & primigeniam linguam, quæ antè Babelicam confuſionem obtinebat, fuiſſe linguam Hebraicam, eamque Mundo ipſi coævam eſſe, & Adami, priorumque Patriarcharum uſu concelebratam, & poſt Babelicam linguarum diviſionem in familiâ Heber integram ad Abrahamum uſque, & Iſraeliticam gentem per-

ſeveraſſe, ſententia eſt Sanctorum aliquot Patrum auctoritate, & veriſimilibus rationibus firmata.

4. Abraham à Deo vocatus, cum eſſet in Meſopotamiâ, ſeu in Ur Chaldæorum regione, juſſus à Deo relinquere Patriam, profectionem in Terram Chanaan adornavit cum Patre Thare, Sarâ uxore, & Loth nepote. Cum autem Harane aliquandiu ſubſtitiſſent, Thare ibi defuncto, Abraham in Chananæam abiit anno ætatis ſuæ 75.: adeoquè anno Thare 130. ipſum natum eſſe, demonſtratur.

ÆTAS TERTIA.

Theſis I. A Promiſſione factâ Abrahamo (Gen. 12.) ſecundùm quàm ſtatim Charane exiens in Chananæam profectus eſt, ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto, anni 430. numerandi ſunt: Quo temporis ſpatio definitur tertia Mundi ætas. Quãobrem audiendi non ſunt, qui hunc annorum numerum ad ſervitutem Iſraelitarum in Ægypto referunt.

D. Th. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 3. & alibi. 2. Abraham uxorem ſuam Sarai ſororem vocavit, abſque mendacio, aut imprudentiâ: Eamdemque, cùm à Pharaone, tùm ab Abimelecho Regibus intactam recepit. Pariter ejuſdem Abrahami cum Agarâ ancillâ copulatio, nec ipſius Patriarchæ, nec Saræ uxoris reſpectu inhoneſta fuit; illamque à Sarâ traditam accepit uxorem abſquè intemperantiæ labe, aut infidelitatis. *D. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. ad 3.*

3. Melchiſedechus nec fuit virtus cæleſtis Chriſto major: neque Spiritus S.: neque Angelus humanâ ſpecie Abrahamo aſpectabilis: neque Filius Dei, qui in carne aſſumpta, ad tempus Abrahamo apparuerit, ſed fuit merus homo; non tamen Sem filius Noë, ſed Rex Salem, idemque Dei Altiſſimi Sacerdos; cujus oblatione panis, & vini, ſacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſignificatum fuit. *D. Th. 3. p. q. 22. a. 6. ad 2. & q. 61. a. 3. ad 3.*

4. Quam-

4. Quamvis totum illum Terrarum tractũ, qui ab Ægypti fluvio ad Euphratem interjacet, nuſquam poſſederint Hebræi, ſtat nihilominus Divinæ promiſſionis inconcuſſa veritas.

5. Loth Angelis hoſpitio ſuſceptis, à Sodomitis vim paſſus, utramque filiam illorum libidini illicitè, ac imprudenter obtulit: ejuſque ebrietas, & cum utraque filiâ inceſtus, à crimine excuſari non poſſunt. [*D. Th. q. 1. de malo a. 5. ad 14. & 2.2 q. 150 a. 4.*]

6. Si literali Scripturæ ſenſui inhæreamus, Jacob à mendacio vix, aut nullo modo excuſari poteſt: At ſi ſenſus figuratus attendatur, & graviſſimorum Patrum auctoritati hac in quæſtione cedendum ſit, magiſque communi ſacrorum Interpretum, & Theologorum ſententiæ, aſſerendum eſt, Iacob paternam benedictionem accepiſſe abſque fraude, & mendacio. [*D. Th. 2.2. q. 110. a. 3. ad 3.*]

7. Sichimitæ, à filiis Iacob ob Dinæ raptum iniquè perempti ſunt.

8. Ius Levirationis, quo frater defuncti fratris viduam ducere tenebatur, & fratri ſemen excitare, ante legem inſtitutum erat, & à SS. Patriarchis obſervabatur, Deo (ut credere par eſt) Auctore; non Ægyptiorum, Chananæorum, aut vicinarum Gentium exemplo.

9. Hoc Oraculum, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c.* venturi Meſſiæ prædictionem continens; nec ad ſolam Tribum Iuda, ſed ad totam Gentem Iudaicam pertinens, in Domino Ieſu completum eſt. [*D. Th. 3. p. q. 35. a. 8. ad 2.*]

10. Vera eſt Iobi hiſtoria, non fabuloſa, vel parabolica, ut Thalmudiſtæ, Maimonides, R. Schem Tob, & Lutherus impiè delirarunt. Ejus tamen libri incertus eſt Auctor.

11. Moſes Ægyptium inſultantem Hebræo interficiens, homicidii reus non extitit. [*D. Th. 2.2. q. 6. a. 6. ad 2.*]

12. Æquè probabilis eſt utraque ſententia, cùm aſſerentium, ipſum filium Dei Moyſi in Rubo ap- [*D. Th. 1. p. q. 43. a. 7. ad 5 & alibi*]

pa-

paruiſſe, tum propugnantium, Angelum fuiſſe qui ipſi apparuit, legationem Dei obeuntem.

ÆTAS QVARTA.

Theſis 1. 1 HEbræi ſpoliis Ægyptiorum abſque furti crimine ditati, ex Ægypto egreſſi ſunt.

D.Th. 1.2. q. 94. a. 5. ad 2. & alibi ſæpe. 2. Aaronem graviſſimi peccati fuiſſe reum, cum Vitulum Aureum conflavit Populi deſideriis obſecutus, & publicè colendum propoſuit, Scriptura S. probat: Quamobrem temerè ab Hebræis, & Moncæo excuſatur.

D. Th. in 4. d. 46. q. 2. a. 2. q. 2. ad 5. D. Th. in 4. d. 1. q. 1. a. 1. q. 1. ad 5. 3. Serpens Æneus, non ad exemplum Præſtigiarum Ægyptiacarum à Moyſe conflatus, & erectus eſt, nec Taliſmanus fuit excantatione aliquâ; vel magicâ vi ad medendum Serpentum morſibus adhibitus; ſed ſignum à Deo inſtitutũ in typum Chriſti Crucifixi, homines oculis fidei ipſum aſpicientes à lethiferis Serpentis Antiqui morſibus ſanantis.

4. Mortuum eſſe Moyſen, ſalvâ fide negari non poteſt.

D.Th. 2.2. q. 88. a. 2 ad 2. 5. Iephte votum imprudenter emiſit, crudeliter implevit in filiâ non virginitatis conſecratione, ſed mactatione cruentâ. Inſignis tamen fuit Chriſti Dominĩ typus.

D.Th. 1.p. q. 89. a. 8. ad 2. & 2. 2. q. 174. a. 5. ad 4. 6. Saul Phytoniſſam conſulens, à vero Samuele ſuam, ſuorumque proximam cladem didicit; quamquam Sancta Prophetæ anima Phytonicis artibus evocata non fuerit, ſed Dei providentiâ, & imperio. Probabilis nihilominus eorum ſententia, qui Dæmonem ſub Samuelis plaſmate apparuiſſe, & Sauli reſpondiſſe cenſent.

7. Liber Pſalmorũ genuinus eſt, & antiquiſſimus. An unius ſit Auctoris, incertum. Partem certè maximam Davidi tribuendam eſſe conſtat. Pſalmos 150. dumtaxat continet Pſalmorum liber, adeoque Pſalmus Idiographus meritò reiicitur. Hebraicè

Pſal-

Pſalmorum in quinque Libros diviſio reſpuenda eſt, ut Neotericorum Hebræorum inventum. Pſalmi oratione Poeticis numeris adſtrictâ ſcripti ſunt: Quo Metri genere, incertum. Plurima ſunt, & quidem clariſſima, de Chriſto, & Eccleſiâ in libro Pſalmorum vaticinia. *D. Th. 3. p. q. 83. a. 4. & in prologo ſuper Pſalmos.*

ÆTAS QUINTA.

1 TEmpli Salomonici origo ad Ægyptiacam ſuperſtitionem, vel ruditatem Gentium referenda non eſt; ſed ad Dei O. M. conſilium, afflatum, auctoritatem, Davidiſque, & Salomonis pietatem. *Theſis 1. D. Th 1. 2. q 102. a. 4. ad 2.*

2. Sors æterna Salomonis incerta eſt. *D. Th. opuſ. 20. l. 3. c. 8.*

3. Canticum Canticorum amatorium carmen eſſe in gratiam filiæ Pharaonis à Salomone conditum, & nihil aliud, quàm garritum coniugum, lceneſque amantium ſub noctem ſuſurros exprimere, impiè aſſerunt cum veteribus Hæreticis Anabaptiſtæ, Caſtallio, & Grotius. Sacrum enim Epithalamium eſt Nuptiarum Chriſti, & Eccleſię, divino afflatu à Salomone conſcriptum. *D. Th. ſuper Canticum Cantic.*

4. Elias cum Enocho Præcurſor Chriſti ad Iudicium venturi futurus eſt. *D. Th. 1. p. q. 102. a. 2. ad 3. & alibi.*

5. Naaman Syrus ita affectus non fuit, ut Rege Syriæ in Templo Remnon adorante, Idoli cultum externo ritu ſimulare voluerit: Nec id ipſi conceſſit Eliſæus.

6. Non ſolaris tantùm umbræ in Horologio Achaz, ſivè in gradibus Ædium ipſius reductio, ſed Solis ipſius retroceſſio Ezechiæ data in ſignum eſt: Eoque miraculo omnes cęleſtes orbes unâ cum Sole retroacti, Horæque plurimæ nocti detractæ, dici additę ſunt. Quot verò, incertum. *D. Th. 2. 2. q. 174. a. 4. ad 2.*

ÆTAS SEXTA.

1 DAnielis 70. Hebdomadum exordium probabilius ducitur ab anno 7. Artaxerxis *Theſis 1.*

Lon-

D. Th. Opuſc. 20. *l.* 3. Longimani: finis verò earumdem ſtatuitur poſt Paſſionem Chriſti quadriennio integro: *Ità* ut in medio ſeptuageſimæ, & ultimæ Hebdomadis occiſus fuerit Chriſtus. Undecunque tamen 70. Hebdomadum numerandarum exordium ſumatur, ex hoc Danielis oraculo veniſſe Meſſiam demonſtratur contrà Iudæos; eumque non alium eſſe, quàm Chriſtum Ieſum.

2. Anni 70. Babylonicæ captivitatis ab Anno quarto Ioakimi Regis Iuda, ad annum primum Cyri Perſarum Regis: Anni verò 70. deſolationis ab anno undecimo Sedechiæ ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis, probabiliùs computantur.

3. Eſdras Libros ſacros in captivitate Babylonicâ diſſipatos, & corruptos colligit, digeſſit, à mendis repurgavit; non ex integro reparavit, aut ex memoriâ conſcripſit, vel dictavit. Puncta vocalia, & accentus, nec Moyſen, nec Eſdram auctorem agnoſcunt, ſed Maſorethas Tiberienſes. Auctores Maſoræ non fuerunt Eſdras, & Viri Synagogæ magnæ, ſed Critici Tiberienſes. Cabbalæ autem nomine ſi ſensùs, myſtici in litterali fundati, & ex intentione Spiritus S. ſub literæ cortice reconditi, traditio, & intelligentia duntaxat ſignificetur; Moyſen, & Eſdram Cabbalæ Doctores fuiſſe, facilè conceſſerim: At ſi hoc nomine Ars illa intelligatur, quà Iudæi recentiores myſteria ex literis, & earum figurâ, permutatione, aut Aritmeticâ ſupputatione eruunt, hujus Auctores Eſdram, vel Moyſen aſſerere temerarium, ac ridiculum eſt.

4. Quamvis Ariſteæ Libellus, *De legis Divinâ ex Hebraica lingua in Græcam Translatione per* 70. *Interpretes*, ſuppoſititius videatur; Criticæ tamen intemperatioris pruriginem eſſe arbitror, negare verſionem illam à 70. Interpretibus divino conſilio adornatam. Hi non ſolum quinque libros Moyſis, ſed libros omnes Scripturæ Hebraicè ſcriptos, & in Canonem Iudæorum relatos, in Græ-

cam

cam linguam tranſtulerunt. Hanc porrò Verſionem in ſingulis cellulis incluſos 70. Interpretes edidiſſe, probabilior eſt opinio, ſi Patres Eccleſiæ, & nobiles Iudæorum Hiſtorici audiantur. Maximæ fuit in Eccleſiâ auctoritatis ante S. Hieronymum, cæteriſque antepoſita eſt Verſionibus, utpotè Apoſtolorum uſu conſecrata.

5. Herodes Idumæus fuit, & alienigena reſpectu Iudæorum.

SÆCULUM PRIMUM.

1. QUo anno *Chriſtus* natus, baptizatus, ac mortuus fuerit, ex ſacrâ Traditione certò colligi non poteſt, cum Patres antiqui in varias abierint ſententias. *Theſis* 1. *D. Th.* 3. *p.q.* 36. *a.* 6.

2. Quamvis autem *Euſebii* Chronologiam, quę Chriſtum Olympiade 194. natum enunciat, & *Dionyſianam* æram, ſeù vulgarem, quæ *Chriſti* Natale conſignat anno 44. Imperii *Auguſti*, ſuo uſu conſecraverit Eccleſia Latina; citrà tamen ullum Fidei diſpendium, intrà fines probabilitatis aſſerimus, *Chriſtum* natum fuiſſe Olympiadis 193. anno 4.; Imperii *Auguſti* anno 40; anno *Iuliano* 41.; à pugnâ *Actiacâ* anno 27.; *Herodis* regni anno 36.; à morte *Antigoni* anno 33.; Urbis *Romæ* conditæ anno 749.; periodi *Julianæ* anno 4709.; quadriennio integro ante Æram vulgarem; Conſulibus *Auguſto Cæſare* XII., *& Lucio Cornelio Sylla.*

3. Valere juſsâ, quoad præſens attinet, Epochâ Auguſteâ *Tiberii*, libenter amplectimur ejus Epocham Proconſularem, convicti rationibus prò iſtâ adductis à doctiſſimo P. Magiſtro *Amat de Grauſon*; & ipſo Duce tuemur ſententiam Evangelico textui magis conſonam, nempe, *Chriſtum* baptizatum fuiſſe ætatis ſuæ ineunte anno 30.; Imperii Proconſularis *Tiberii* anno 16.; Æræ *D. Th* 3. *p.q.* 39. *a.* 3.

 vul-

vulgaris anno 26.; anno Iuliano 71.; Urbis *Romæ* conditæ anno 779.; Olympiadis 201.anno 2.; periodi *Julianæ* anno 4739.; Conſulibus CN. *Lentulo Getulico*, & C. *Calviſio Sabino*.

4. Cohærenter ad ſtatutam *Chriſti* Baptiſmi Epocham, eodemque præeunte Magiſtro, dicimus, *Chriſtum* mortuum fuiſſe ætatis ſuæ incohato anno 33.; Imperii Proconſularis *Tiberii* anno 19.; anno *Iuliano* 74.; Olimpiadis 202.anno 1.; Hebdomadum *Danielis* anno 486.; periodi *Iulianæ* anno 4742.; Æræ vulgaris anno 29.; Conſulibus *Cajo Rubellio Gemino, & Cajo Fuſio Gemino*.

D.Th.3.p. q.46.a.10. ad 4.

5. Magi, qui ad *Chriſti* cunas acceſſerunt, nec ex Chaldeâ, nec ex Perſide venerunt, ac ſubindè, nec Chaldææ, nec Perſidi ſuos natales debent. Probabilius cenſemus, ipſos ex Arabiâ felice veniſſe.

D.Th.3.p. q.36.a.3. ad 3.& a. 6.& 7.

6. Epiſtolæ *Abgari* Regis Edeſſenorum ad *Chriſtum*, & *Chriſti* ad eumdem *Abgarum*, ſuppoſititiæ ſunt, & apocryphæ.

D.Th.3.p. q.42.a.4.

7. *Chriſti* Domini verba *Matthæi* cap. 7. relata: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*, ita ab antiquioribus Patribus fuere intellecta, ut ſcilicet ſanctiora Chriſtianæ Fidei myſteria exponenda non eſſent, niſi Fidelibus: undè laudatis *Chriſti* verbis, & Apoſtolorum uſu commendata *Arcani* diſciplina, ſanctè, & prudenter obſervata fuit, non quidem ergà Fideles, ſed ergà Infideles tantùm, & Catechumenos, quouſque iſti in *Competentium* claſſem redacti non eſſent.

D.Th.2.2. q.40.a.3.& *Præfatione in Expoſitionem libri De Divinis Nominibus.*

8. Non ſoli Sacramentorum Ritus, ſed etiam dogmata, præſertim verò de *Trinitatis*, & *Euchariſtiæ* myſteriis: nec unum, vel duo, ſed reliqua etiam Sacramenta, nondùm initiatis occultari, conſueverunt.

9. Ex Gentilium adversùs Chriſtianos de *Thyeſteis* Epulis, quæ hoc primo ſæculo cœpit, colligi

non

non poteſt, Diſciplinam *Arcani* primis Eccleſiæ temporibus in uſu non fuiſſe: imò ejus obſervantiam perduraſſe in Eccleſiâ Orientali ad finem uſque quinti ſæculi, in Occidentali verò poſt ſexti ſæculi medium, probabilius cenſemus cum eruditiſſimo *Schelſtrate* libro *de Diſciplina Arcani* adversùs *Tentzelium* edito.

10. Quòd veteres de ſeptem Sacramentis nullos tractatus ediderint: quòd plerique Patres de reali Corporis, & Sanguinis *Chriſti* in Euchariſtiâ præſentiâ, obſcuriùs loquuti fuerint, & Figuram eſſe dixerint: quod nulla apud Antiquos de verbo *Tranſubſtantiationis*, frequens è contrà *Panis* mentio fiat, ex *Arcani* diſciplinâ provenit.

11. Sortium uſus in ſacris Electionibus illicitus eſt, nec exemplo S. Matthiæ poteſt adſtrui. *D.Th.2.2. q.95.a. 8.*

12. Ex 7. Diaconorum electione colligitur, plebem Chriſtianam jure ferendi teſtimonii de vita, & meritis Miniſtrorum Eccleſiæ, in S. Ordinationibus, & Electionibus juremeritò potitam eſſe, ſecundùm veterem diſciplinam ab Apoſtolis deſcendentem; nec non jure exponendi ſuum de perſona eligenda deſiderium. Hoc tamen populo Chriſtiano competebat jure Eccleſiaſtico, cum S. Miniſtrorum Electio jure Divino ad plebem pertinere, ex 7. Diaconorum electione colligi non poſſit.

13. S. Paulus verè, & ſincero prorſus animo reprehendit S. Petrum, non ex ſimulatione. *D.Th.1.2. q.103. a.4. ad 2. & alibi.*

14. S. Petrum Romæ ſediſſe non ſolùm docet conſtans Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fides, ſed & convincit ipſa ejuſdem S. Petri Epiſtola prima. *D. Th. in prologo ſup Ep ad Romanos.*

15. Græcorum Patrum nonnulli, plures mulieres Evangelicas Unctrices Domini aſſeruerunt. Latini Patres contrariam plerumque propugnarunt ſententiam. Porrò licet neutra opinio Scripturæ S. palàm, aperteque repugnet; eidem tamen magis conſona eſt Latinorum Patrum aſſertio mulierem unicam ſtatuentium. *D. Th in Cat Aureâ, & lect.1.in c 12.& lect. 1 & 2.in c. 20 Ioannis.*

D. Th. innumeris ferè locis in Tabulâ Aureâ Petri Bergomenſis relatis, præcipuè verbo Hæreſis.

16. Simonis Magi de Angelis Mundi conditoribus, & de Animarum in alia corpora tranſmigratione; Saturnini de duobus hominum generibus aliis naturâ bonis, aliis naturâ malis; Baſilidis de natura humana, & carne à Filio Dei ſpecie tenus ſuſcepta, & corporum reſurrectionem futuram negantis; Cerinthi Chriſtum à Ieſu dividentis, & purum eſſe hominem aſſerentis, ex Ioſeph conceptum; Ebionis eumdem Chriſtum ex conſortio Mariæ cum Ioſepho genitum effutientis; & denique Nicolaitarum (quorum Auctor non fuit Nicolaus unus è ſeptem Diaconis) de promiſcuo, & indiſcreto mulierum complexu, ſingulos errores Scriptura S., & Traditio diſertè refellunt. Pariter Terrenum, & Millenarium Chriſti Regnum, à Cerintho aſſertum, nullo nititur fundamento, ſivè Scripturæ, ſivè Traditionis.

SÆCULUM SECUNDUM.

Theſis 1.

1. TRajani Imperatoris ex Inferis liberatio S. Gregorii precibus, commentitia prorſus eſt, nec à Theologo veritatis amante aſſerenda. Hanc licet D. Thomas videatur non negaſſe olim juvenis, multis tamen ipſius Doctrinæ principiis omninò repugnat.

D.Th. 3. p. q.1. a. 3. q. 52 a. 6 &c. In ſupplem q. 73 a. 5.

2. Statorum in Eccleſia jejuniorum religio non eſt germana Montaniſticæ Diſciplinæ. Abſtinentia à carnibus pars Eccleſiaſtici jejunii ſemper fuit, & apud veteres Chriſtianos diebus eſurialibus publica lege præcepta. Antepaſchale autem jejuniũ Chriſtiani Religione ſumma tribus primis Eccleſiæ ſæculis obſervabant: quòd an plurium Hebdomadum fuerit, necne, quamvis diſertè non exprimant illorum ſæculorum Patres; longè tamen probabilius eſt, circiter 40. dierum illud fuiſſe. Porrò quamvis Quadrageſimale jejunium ab Apoſtolis inſtitutum non eſſet; nihilo ſecius illius le-

D.Th. 2.2. per totam q. 147.

ge

ge tenerentur Chriſtiani, hoc ipſo, quòd ab Eccleſia publicâ lege præceptum eſſet.

3. Quatuor Temporum jejunia ab univerſa Eccleſia religiosè olim obſervata fuiſſe, certum eſt. Nonnulla tamen in diebus, & hebdomadibus horum jejuniorum obſervationi conſecratis diu fuit in variis Eccleſiis diverſitas. Chriſtianis Quartæ, & Sextæ feriæ Stationibus conjunctum erat antiquitus jejunium, non publica lege Eccleſiis omnibus indictum, ſed communi Fidelium uſu, ac pietate frequentatum. De jejunio autem Sabbathi varia olim fuit Eccleſiarum conſuetudo. Romæ, & in aliis nonnullis Occidentis regionibus, jejunio conſecratus erat ille dies: apud Orientales à jejunio immunis. Neuter mos Patribus improbandus viſus eſt. Romanum ergò Sabbathi jejunium Trullana Synodus, & Græci deinceps Schiſmatici perperam damnarunt. *D.Th. ibidem.*

4. Ex veteris Eccleſiæ uſu, qui ad Sæculum uſque 12. viguit, Quadrageſimale jejunium Veſpere tantùm ſolvebatur; cæteris jejuniorum diebus, ut plurimùm, horâ nona. Cænula verò, quæ hodie Collatio vocatur, ex hominum relaxatione ortum habet, cui Canones non ſuffragantur, nec Eccleſia conſentit lata lege. *D.Th. ibidem.*

5. Controverſia, quæ hoc ſæculo emerſit, de tempore Paſchatis celebrandi, demùm in magna Synodo Nicæna ad finem perducta eſt, ibique conſtitutum fuit Oecumenico Decreto, ut Dominicâ proximè ſequente Lunam 14. poſt Vernum Æquinoctium illuceſcentem, celebraretur. A Nicæni autem Concilii temporibus ſummam diligentiam adhibuit Eccleſia, ne in celebrando Paſchate error aliquis obreperet, vel aliqua contingeret diſſenſio inter Chriſtianos. Undè & Alexandrinis Patriarchis Cycli Paſchalis conficiendi, Paſchaliſque ſolemnitatis Romano Pontifici denuntiandæ provinciam impoſuit: &, cum aliqua circa diem legi-

timum

timum celebrandi Paſchat's orta controverſia eſt; in eam dirimendam Romani Pontifices ſeduló incubuerunt.

6. Quòd Tertullianus, partim auſterioris vitæ, & ſtrictioris diſciplinæ prætextu; partim quòd Romanorum Clericorum exprobrationes impatienter ferret: non verò ob repulſam Epiſcopatùs, ab Eccleſia ad Montaniſtas defecerit, non infirmis adſtruitur conjecturis.

D. Th. innumeris ferè locis in Tabulâ Aureâ Petri Bergomenſis relatis præcipue verbo Hæreſis. 7. Helceſceitas, fidem negare, & Religionem ſimulare licitum eſſe, aſſerentes; Gnoſticos Martyrii neceſſitati, & ſanctitati detrahentes; Marcionitas Dei unitatem, Nuptiarum bonitatem, ac Matrimonii ſanctitatem negantes; Valentinianos Æonum fabulas obtrudentes, Chriſtumq; nihil ex B. M. V. ſumpſiſſe, ſed corpus è Cœlo detuliſſe, dicentes; Encratitas, & Hidroparaſtatas, Aquam meram in Altaris Sacrificio adhibendam eſſe, docentes; Montaniſtas ſecundas Nuptias, & fugam in Perſecutione damnantes; Hermogenem denique Materiam Deo coæternam ſtatuentem, Scriptura S., Traditio, ac naturalis ratio invictè refellunt.

SÆCULUM TERTIUM.

Theſis 1.

D. Th. 3. p. q. 84. a. 8. q. 85. a. 3 q. 86. a. 4. q. 90. a. 2. & .

1. FErvente Decii perſecutione, Lapſi libellós Martyrum ſeditioſè prætexebant, veniam ut obtinerent ab Eccleſia, nullâ licet pœnitentia functi: hiſque muniti libellis, Communionem invadere volebant. Porrò temeraria erat horum Lapſorum poſtulatio; cum abſque ſatisfactione venia obtineri à Deo non poſſit, nec eam indulgere poſſit Eccleſia, niſi iis, qui prò peccato ſatisfecerint, aut ſatisfacere voluerint. Romana igitur Eccleſia unà cum S. Cypriano Lapſorum tumultus fiduciario primùm decreto compeſcuit, tùm ſedata perſecutione, peremptorio judicio ſtatuit, recipien-

pien-

piendos ad Communionem Libellaticos, plenam verò Sacrificatis agendam eſſe pœnitentiam: ità tamen ut ipſis in exitu concederetur Abſolutio.

2. Martyres pacem Lapſis non concedebant, quanquam pacis Libellos eis tribuerent, ſed Epiſcopis dumtaxat prò ipſis ſupplicabant. Porrò Martyrum deſideria, & preces ab Antiſtibus diſcutiebantur, qui in honorem, & reverentiam Martyrum aliquid de ſeveritate Eccleſiaſticæ diſciplinæ ergà Lapſos remittebant, & ad Communionem illos admittebant, antequam plena Pœnitentia functi fuiſſent. Libelli tamen Martyrum vim tantùm habebant ab eorum obitu, & poſt ſedatam perſecutionem; licet qui iis libellis muniti, vel ante ſedatam perſecutionem, vel ante peractam pœnitentiam, in mortis diſcrimen veniebant, libellorum effectu fruerentur, & pacem, atque Communionem acciperent.

3. Graviſſimum erat Libellaticorum crimen, & proxime ad Idololatriam accedens. Libellaticos tamen omnes fidem abnegaſſe non exiſtimamus; quamvis nonnulli re vera negaverint.

4. Cujuſvis peccati mortalis reos Eccleſia nuſquam publicæ Pœnitentiæ addixit. Sex tamen prioribus Eccleſiæ ſæculis, peccatis etiam occultis Pœnitentia publica infligebatur, qui mos ſeptimo ſæculo exolevit. *D.Th.in 4. d.14.q.1.a. 5. q. 3. & alibi.*

5. Canonicorum criminum reis, in ſupremo vitæ diſcrimine, Abſolutio Sacramentalis negata eſt, ſi in infirmitate dumtaxat Pœnitentiam poſtulaſſent. Quidam Epiſcopi Africani ante S. Cyprianum, mœchis, etiam in exitu, abſolutionem Sacramentalem negaverunt: quam Idololatris, & Homicidis negaſſe conſequenter videntur. Nullæ Orientis Eccleſiæ, nec celeberrimæ Occidentis, ut Romana, Carthaginenſis, Hiſpanienſis, &c. pacem, ſivè abſolutionem Sacramentalem Lapſis Pœnitentia functis unquam denegarunt. *D.Th in 4 d. 14. q. 2. a. 5. ad 5.; d. 20. a.1. q.1.; ſuper ep. ad Hebræos lect. 3.*

6. Qua-

D.Th. in 4 d. 14. q. 1. a. 5. q. 3. 6. Quatuor fuerunt olim in Eccleſia Pœnitentiæ publicæ gradus, ſcilicet, *Fletus, Auditio, Subſtratio, & Conſiſtentia*. Pœnitentes tamen ab inferiori Pœnitentiæ gradu interdùm ad ſuperiorem, impertranſito medio, aſcendebant, Epiſcopis Canonum ſeveritatem, ob illorum contritionem, & fervorem in agenda Pœnitentia, temperantibus.

D.Th. in 4 d. 19. q. 1. a. 3. q. 2. 7. Niſi mortis urgeret periculum, aut in diſcrimine verſaretur Pœnitentium ſalus, poſt peractam duntaxat Pœnitentiam, & impletam omninò ſatisfactionem, primis Eccleſiæ ſæculis, graviorum criminum reis Abſolutio Sacramentalis concedebatur. Imminente tamen perſecutione, Lapſis concedebatur Abſolutio ante ſatisfactionē impletam, ut ſubeundo Martyrio idonei redderentur. Pariter cum Lapſi, poſt ſcelus commiſſum, arduum aliquid, & eximium edebant, aut patiebantur prò Chriſti gloria, vel cum abſque periculo Schiſmatis differri diu non poterat Abſolutio, vel cùm ex reditu Lapſorum ingens aliquod bonum in Eccleſiam redundabat, tunc Abſolutio ſtatim ipſis tribuebatur, & Pœnitentię luctuoſæ labores condonabantur.

D.Th. in 4. d. 14. q. 1. a. 7. 2. 8. Iis, qui actâ publicè Pœnitentia, in eadem, vel nova crimina relabebantur, ob quæ agenda publicè Pœnitentia eſſet, ſecundùm Eccleſię leges, non ſolùm publicæ, verùm etiam privatæ Pœnitentiæ (extra mortis periculum) præcludebatur aditus.

D.Th. 3. p. q. 89. a. 3. & in 4. d. 14. q. 1. a. 5. q. 3 & alibi. 9. Clerici minores, non ſecùs ac Laici, publicæ olim Pœnitentiæ addicebantur. Tribus prioribus Eccleſię ſæculis etiam Clerici majores publicæ Pœnitentiæ legibus, ex Eccleſiæ diſciplinâ, ſubditi fuerunt; ſed poſt tertium ſæculum iis amplius non imponebatur, niſi eam ipſi pietatis & humilitatis animo poſtularent. Nuſquam tamen ritus impoſitionis manuum frequentari ſolitus, ac celebrari ſuper publicos Pœnitentes in gradu *Subſtra-*

ſtrationis, uſurpatus eſt ergà majores Clericos publicam Pœnitentiam agentes.

10. Controverſia de Hęreticorum baptiſmate, quæ S. Cyprianum, & Africanos Epiſcopos, Firmilianumque, & Orientales, cum S. Stephano Romano Pontifice commiſit, demùm finita eſt in Niceno Concilio, quod nomine Plenarii Concilii intellexit S. Auguſtinus. An verò errorem de rebaptizandis Hæreticis S. Cyprianus depoſuerit, incertum eſt. Hoc certum habemus, quòd Stephanus I. Baptiſmum in Chriſti ſolius nomine collatum, validum, ac legitimum eſſe, nec decrevit, nec decernere potuerit. Imò (quòd præcipuè Blondellus aſſerit) eundem Stephanum, damnando morem S. Cypriani, &c. in extremum errorem lapſum eſſe, & decreviſſe, Baptiſma quorumcunque Hæreticorum, etiamſi conſuetâ, & ſolemni Eccleſiæ forma, & ritu collatum non ſit, ratum eſſe, ac legitimum, ac proindè non iterandum, prorsùs improbabile eſt. *D. Th.* 3 *p. q.*66.*a* 6. *& alibi.*

11. Eviratio Origenis non erat Canonicum illius Ordinationis impedimentum. Undè ipſum ob iſtud facinus perperam Demetrius inſectatus eſt. Origenis in Deciana perſecutione lapſus non eſt commentitius. Ejus doctrinam omnis erroris puram aſſerere vetant Patrum de ipſo, & Eccleſiæ judicia prohibent & ipſius libri, qui graviſſimos errores quorum eſt inſimulatus, repræſentant. Imò damnati ſunt ut Hæretici ab Eccleſia, qui ita defenderent Origenem, ut ejus errores ſectarentur: ſecùs tamen, qui errores ipſi perperam affictos, & ab Hæreticis in ejus libros intruſos contenderent. *D. Th.* 1. *p. q.*32.*a.*1.*q.* 34.*a.* 1. *q.* 51.*a.* 1.2. *q.* 5. *a.* 4. *& alibi.*

12. Nonnullorum opinio eſt, Marcellini Romani Pontificis lapſum commentitium eſſe; ſicuti & Concilium Sinueſſanum ſuppoſititium eſſe, ac planè fictitium.

13. Veneranda eſt Illiberitanæ Synodi auctoritas,

ritas, in cujus fide nihil non integrum; in cujus diſciplina nihil non ſanctum.

D. Th. 1. p. q. 64 a. 2. & alibi ſæpè in Summâ, & Opuſculis. 14. Novatiani perperam Eccleſiæ negarunt poteſtatem remittendi peccata: nullum enim eſt crimen, quod Eccleſiæ clavibus remitti non poſſit. Falsò pariter aſſerit Morinus, quòd antiquorum Patrum plerique Blaſphemiam in Spiritum S. agnoverint penitùs irremiſſibilem.

D. Th. 3. p. q. 66. a. 9. ad 3. & alibi. 15. Baptiſmus ab Hæreticis collatus verbis Evangelicis, validus eſt: adeoque errarunt, qui, extrà Eccleſiam baptizatos iterum eſſe baptizandos dixerunt.

D. Th. 1. p. q. 31. a. 2. & alibi. 16. Divinarum Perſonarum Trinitatem, utriuſque Teſtamenti Scripturæ, & Traditio contrà Praxeanos, Noetianos, & Sabellianos, in Tranſilvanis, Socinianiſque redivivos, oſtendunt.

17. Hominem libero præditum eſſe arbitrio, *D. Th. 1. p. q. 83. a. 1. & alibi ſæpè.* quo & bonum operari, & peccata vitare poſſit; veritas eſt, non adversùs Manichæos, tantùm; verum etiam contrà Lutheranos, & Calviniſtas, Scripturæ S. teſtimoniis, & omnium ſæculorum ab Apoſtolicis temporibus, traditione firmatas; nec non Eccleſiæ judicio ſtabilita.

18. Origenis errorem de Animarum creatione *D. Th. pluribus locis in Tabulâ Aureâ relatis, verbo Hæreſis. Origenis.* ante corpora, & de illarum in corporibus, quaſi in ergaſtulis, reclusione, Scriptura S. coarguit, SS. Patres refellunt, Eccleſia damnat. Pariter æternam forè Dæmonum, & hominum impiorum damnationem, Scriptura S. disertè aſſerit, cæterique Patres contrà eumdem Origenem propugnant.

SÆCULUM QUARTUM.

Theſis 1. 1. Collatio Carthaginenſis Catholicorum Epiſcoporum cum Donatiſtis rectè, & prudenter indicta, & celebrata eſt. Nec tamen in conſequentiam, & exemplum trahi debet, ut collationes, & diſputationes publicæ Hæreticis concedantur. *D. Th. 2. 2. q. 10. a. 7. & ſuper 2. ad Tim. c. 2. lect. 2.*

2. Nicæni Patres ὁμοούσιον Patri Filium rectè ſunt

pro-

profeſſi, eamque vocem Fidei ſymbolo appoſitè, & prudenter addiderunt. Vox autem ὁμοιούσιον licèt variè fuerit accepta, eâ tamen Nicænam fidem exprimi,æquè ac voce ὁμοούσιον quidam Epiſcopi contendebant. Hinc qui voce ὁμοιούσιον ad fidem Nicęnam exprimendam utebantur, vocem verò ὁμοούσιον certis de cauſis reſpuebant, quamvis quandoque hæreſeos ſuſpicione laborarint, Catholicè tamen ſentiebant, nec de ſummâ Fidei diſputabant. *D.Th.1.p. q.36. a. 2. ad 2. & alibi.*

3. Nicęnæ Synodi Canon III. continentiam ab uxoribus ante S. Ordinationem ductis majoribus Clericis non præcipit, nec proindè hiſtoriæ Paphnutii ab Auctoribus Eccleſiaſticis relatæ repugnat. Quamvis autem Nicęna Synodus de Clericorum cœlibatu nihil ſtatuerit, ejus tamen temporibus Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, perpetuam continentiam ſervabant ex Eccleſiæ diſciplina diuturno uſu, & ab Apoſtolicis tẽporibus derivato firmatâ, quam Siricius, & alii deindè Pontifices, Conciliaque, decretis ſuis, atque canonibus roborarunt. Cujus diſciplinæ, legiſque ſanctimoniam irrito conatu impugnant Heterodoxi, licet, nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, Sacris Miniſtris impoſita fuerit. *D. Th. in 4.d.37.q.1. a. 1. & com. Gen.c.136 & alibi.*

4. Quæ eiusdem Nicęnę Synodi Canone 6. inter Romanum, & Alexandrinum Epiſcopos inſtituitur comparatio, eſt ſolùm quoàd Patriarchicam dignitatem, ſecùs quoàd iura eidem Romano Epiſcopo convevientia, quatenus *Chriſti* Vicarius eſt, & S. *Petri* ſucceſſor. Vndè perperam Heterodoxi contendunt, hoc Canone ſupremam Romani Pontificis in totam, quâ latè patet, Eccleſiam, & in omnes Epiſcopos, etiam Patriarchali dignitate adauctos, Divinam iuriſdictionem convelli. *D. Th. 1.p. q.112 a. 2. ad 2., & 2.2. q. 89. a. 9. Item 3.p.q 72. a.11.ad 1.*

5. Julius Romanus Pontifex cauſę S. Athanaſii cognitionem ſuſcepit, deque illâ judicavit ſummo jure, & Apoſtolicâ primæ Sedis auctoritate; non verò ut arbiter duntaxat à partibus electus.

6. Ius Appellationum ad Sedem Romanam, quod eſt appendix Primatùs S. Petro, & ejus Succeſſoribus à Chriſto collati, à Synodo Sardicenſi non potuit inſtitui, ſed tantùm explicari. Appellationes tamen, cùm in Eccleſia Orientali, tùm in Occidentali frequentes fuere poſt Concilium Sardicenſe. Undè earum uſûs initia, vel ad Concilii Trullani tempora in Eccleſia Græcâ, vel ad Octavum Sæculum in Latinâ, perperam à nonnullis Scriptoribus detruduntur.

D. Th. 3. p. q. 3. a. 3. ad 1. & in 1. d. 26. q. 1. a. 1. ad 4.

7. Cõtroverſia, quæ circà nomen *Hypoſtaſeos* in Eccleſia orta eſt, erat inter Catholicos de unâ, vel de tribus in S. Trinitate hypoſtaſibus diſſidentes, qui proindè non de veritate myſterii, ſed de verbis duntaxat, quibus in eo explicando utendum eſſet, diſputabant.

D. Th. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2.

8. Symbolum Conſtantinopolitanum ſemper ab Eccleſia ut teſſera fidei receptum eſt.

D. Th. locis in Tabulâ Aureâ relatis verbo ECCLESIA.

9. Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam; inſignes etiam Peccatores continentem; nuſquam eorum vitiis violandam; nuſquam defecturam, ut re vera nuſquam defecit; contrà Donatiſtas, & conſequenter contrà Lutheranos, & Calviniſtas, inviƈtè probant S. Scripturarum auƈtoritas, & SS. Patrum teſtimonia: ex quibus proinde oſtenditur evidenter, tàm veteres illos, quàm recentiores Hæreticos, ſacrilegi ſchiſmatis reos eſſe; vel ex uno iſto capite, quòd ſe ab Eccleſia præciderunt.

D. Th. innumeris ferè locis in Tabulâ Aureâ relatis præcipuè verbo Hæreſis Arii.

10. Arianos, Arianiſque pejores Socinianos, Filium Dei verum eſſe Deum, Patri Conſubſtantialem, & coæternum, impiè negantes, Scriptura S., & Traditio, ad Nicæni uſque Concilii tempus, & indè uſque ad nos propagata refellit.

D. Th. 4. con. Gen. c. 16. 17. 18. & alibi ſæpè.

11. Macedonianos Spiritûs S. hoſtes Scripturæ S., & SS. Patrum teſtimonia profligant, ejus Divinitatem, & eamdem cum Patre, & Filio dignitatem, atque majeſtatem aſſerentia.

12. Epiſcopos jure divino Presbyteris eſſe ſupe-

periores, adversùs Aerianam hæreſim; cjuſque inſtauratores recentiores Hæreticos, S. Scriptura, & Traditio diſertè teſtantur. Qui verò olim dicebantur Chorepiſcopi, Ordinatione ſua non erant Epiſcopi, ſed meri Presbyteri, aliquo tamen juriſdictionis Epiſcopalis privilegio adaucti.

D. Th. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1. & alib.

13. Purgatorium, & preces prò Defunctis Scripturæ S. loca, aliqua ſaltem, invictè probant; adeoque hoc fidei dogma negare, ſummæ pervicaciæ, & impietatis eſt. Purgatorium autem eſſe locum, in quo expientur Iuſtorum animæ, quibus poſt mortem eluendum aliquid ſupereſt: & Eccleſiæ Preces ipſis illo in ſtatu prodeſſe, Traditione ab Apoſtolis ad nos derivatâ, contrà eoſdem Aerianos, & recentiorum Sæculorum Hæreticos, firmiſſimè demonſtratur.

D. Th. locis in Tabulâ Aurâ relatis verbo PVRGATORIVM

14. Rationalem animam, & mentem Verbum Divinum aſſumpſiſſe, SS. Patres, tùm ex Scripturâ S., tùm rationibus ipſi innixis, contrà Apollinariſtas, invictiſſimè probaverunt.

D. Th. 3 p. q. 5. a. 4. & alib. ſæpè.

15. Mendacium omne lege divinâ vetitum eſſe: adeoque & Æquivocationes, & Reſtrictiones mentales, quæ ſunt veri nominis mendacia, adversùs Priſcillianiſtas, imò & recentiores ſecùs opinantes, S. Scripturæ, & SS. Patrum luculentiſſima evincunt teſtimonia.

D. Th. 2. 2. q. 69. a. 1. & 2. & alibi ſæpè.

16. B.M. Deiparam, ante partum, in partu, & poſt partum Virginem fuiſſe, ideſt, ab omni viri conſortio, & uſu conjugii perpetuò ſegregatam, ac integris Virgineis corporis clauſtris Benedictum Uteri ſui fructum Ieſum effudiſſe, adversùs Helvidium, Iovinianum, & Bonoſum, Scripturâ S. ſuffragante, Traditio docet, cui citrà hæreſim refragari nemo poteſt.

D. Th. 3. p. q. 28. a. 3. & alibi.

17. Virginitatis majus, ac præſtantius eſſe bonum, atque meritum, quàm Conjugii, SS. Patres, præcipuè contrà Iovinianum, ex Scriptura S. diſertè probant.

D. Th. 2. 2. q. 152. a. 4. q. 186. a. 4. & 3. cont. Gen. c. 137. & alibi.

Theſis 1. *D. Th. Quodlib* 9 *a. ultimo* & *ſupplem* *q*. 55. *a*. 9. *ad* 1.

1. Dioſpolitana Synodus, etſi decepta Pelagium abſolverit, ejus tamen hæreſim non approbavit, ſed damnavit. Zoſimus quoque Romanus Pontifex, licet ben'gnitate ergà Celeſtium uſus ſit, non tamen ejus hæreſim approbavit.

D. Th. 2. 2. *q*. 6. *a*. 3.

2. Semipelagiani omnes Gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei conſtantiſſimè negabant. Non fuit imaginaria Prædeſtinatianorum hæreſis, quamvis plurimos non habuerit ſectatores; nec fuit merum Semipelagianorum commentum.

D. Th 3 *p*. *q*. 2. *a* 6. *q*. 18. *a*. 1 & *alibi*.

3. Error Eutychetis in eo poſitus erat, quòd duas in Chriſto naturas poſt Incarnationem negaret, unam dumtaxat aſſereret ex humanæ, divinæque velut mixtione, & confuſione reſultantem; vel unius in alteram naturæ converſione, ideſt, aut Divinitatis in carnem, aut carnis potius in Divinitatem. Hanc hæreſim Scripturæ S. Auctoritas, Conciliorum definitiones, & SS. Patrum, vel Concilio Chalcedonenſi antiquiorum plurima teſtimonia confodiunt.

D. Th. in 3. *d* 6. *q*. 12 *in fine*.

4. Dioſcorus in Synodo Calchedonenſi damnatus præcipuè eſt, quòd hæreticus fuerit; quòd S. Leonem excommunicare auſus ſit; & quòd morem Concilio non geſſerit.

5. Henoticon Zenonis meritò à piis quibuſque rejectum eſt, hoc præcipuè nomine, quòd Decreta de Fide condere, ac edere Laici Principis non eſt.

D. Th. pluribus locis in Tabula Aurea relatis verbo PECCATUM *Originale*.

6. Originale peccatum ab Adamo in ipſius poſteros propagari contrà Pelagianos, in Socinianis redivivos, Scriptura S. demonſtrat, Traditio Patrum teſtimoniis, ad Pelagii uſque tempora firmata evincit, congruæ rationes perſuadent.

D. Th. pluribus locis in Tabula Aurea relatis præcipuè verbo GRATIA.

7. Gratiæ Chriſti neceſſitatem ad fidem, ipſumque fidei initium; ad cujuſcunque boni operis exordium, & conſummationem; & ad finalem præcipuè perſeverantiam, contrà Pelagianos, & Semipela-

pelagianos, S. Scripturæ, SS. Patrum,& Conciliorum oracula conſtanter definiunt.

8. Unam eſſe Chriſti perſonam,naturis conſtantem duabus, unumque Dei,& hominis filium,Scriptura S., SS. Patrum, & Conciliorum auctoritates, adversùs Neſtorium, evincunt. Ad quod conſectarium eſt, Beatiſſimam V.M. verè, propriéque Matrem Deî eſſe, ac dici debere; quemadmodum contrà eumdem Neſtorium ab Epheſini Concilii Patribus definitum fuit. *D.Th.3.p. q.2.a 6.q. 35.a 4. & aliis locis in Tabula Aurea relatis verbo CHRISTUS, & verbo HAERESIS. Neſtorii.*

9. Reliquias Sanctorum, præſertimque Martyrum, in pretio, ac veneratione habendas, contrà Vigilantium, & conſequenter recentiorum etiam temporum Hagiomachos, præcipuè Lutheranos,& Calvinianos, Scriptura S. probat, Sanctorum oſſibus; & cineribus delatum honorem commemorans, & commendans. Quod etiam Traditio, & mos Eccleſiæ vetus, ac perpetuus confirmant. Sanctos ſacro cultu, & honore, civili majore, inferiore divinò, proſequi licet: cujus religionem Scripturæ S., & veteris Eccleſiæ auctoritas, uſuſque à primis Chriſtiani nominis Sæculis approbant. Angelorum,& Sanctorum cum Chriſto regnantium invocationem, Chriſtiana religio permittit, approbatque ceu maximè utilem, verbo Dei ſuffragante; eamdemque Sanctorum invocationem licitam, piã, & utilem eſſe, Traditio, & perpetuus Eccleſiæ uſus evincunt. Quæ omnia potiori titulo libenter dicimus de omnium Sanctorum Reginâ Virgine Deipara, cujus ſingularis excellentia, & eximia dignitas, à Patribus ſummo conſenſu prædicata, ſingularis illius, & eximii cultûs fundamentum eſt, quem rectè *Hyperduliam* vocamus. *D. Thom. pluribus locis in Tabula Aurea relatis, verbo, ADORATIO.*

SÆCULUM SEXTUM.

1 DEcretum *Hormiſdæ* Romani Pontificis editum adverſus Monachos *Scythas*, propugnan- *Theſis* 1.

D.Th. 3. p. q. 16. a. 5. & 6. gnantes iſtas Catholicas propoſitiones--*Chriſtus unus eſt è Trinitate*--&: *Vnus e Trinitate crucifixus eſt carne*--non adverſatur Decreto *Joannis* II. pariter Romani Pontificis, quo hæreſis damnantur Monachi *Acœmetæ* earumdem propoſitionum orthodoxiam oppugnantes.

D. Th. q. 10. *de Potentia* a. 4 *ad* 13. & *Opuſculo* 20. c. 18. 2. Quinta Synodus à Vigilio Romano Pontifice, & eius ſucceſſoribus approbata eſt, & totius demùm Eccleſiæ conſenſu recepta. Vndè inter Oecumenicas meritò numeratur. Eadem Synodus Theodorum Mopſueſtenum, & ejus libros, Theodoreti ſcripta contrà S. Cyrillum, & Epiſtolam Ibæ ad Marim Perſam, meritò damnavit. Quamvis autem Anathema latum in Quintâ Synodo præcipuè feriat Neſtorianos, qui Trium Capitulorum doctrinam propugnabant, quòd illam ſuæ conſonam hæreſi, ut revera erat, agnoſcerent: nihilominus Catholicos etiam Trium Capitulorum Defenſores petere videtur, qui Capitula illa erroris pura, poſt Synodi Oecumenicæ judicium aſſererent, & ideo iniquè damnata. Vndè temeritatis notam incurrerent, & periculum ſubirent Anathematis, qui prò Tribus Capitulis, aut aliquo ex illis, Apologias ſcriberent.

D. Th. 3. p. q. 50. a. 5. *Quodl.* 3 a. 4. & *Quodl.* 4. a. 8 3. Hæreticos Aphthartodocetas, Chriſti Corpus, etiam ante Reſurrectionem, incorruptibile fuiſſe, aſſerentes, Scripturæ S., & Patrum teſtimonia redarguunt.

D. Th. 3. p. q. 10. a. 2. *ad* 1 q. 15 a 3. & *alibi*. 4. Agnoetarum hæreſis in eo poſita erat, quòd ignorantiam, non ſolùm ſecundùm naturam humanam, ſed abſolutè ſecundùm naturam omnem, Chriſto affingebant, unam duntaxat in ipſo naturam poſt Incarnationem agnoſcentes. Hanc hæreſim Scriptura, & Patres refellunt. Quamvis autem Agnoetis hæreticis annumerandus non eſſet, qui Chriſto, ut homini rerum aliquarum ignorantiam tribueret, abſque tamen errore dici non poteſt, Chriſtum, ut hominem, diem

Judicii, & alia, quorum ſcientiam à Deo conſequi mens humana poteſt, ignoraſſe.

SÆCULUM SEPTIMUM.

1. Agatho Romanus Pontifex Sextæ Synodo præfuit per Legatos: eademque Synodus eumdem Agathonem ut Caput, & Doctorem Eccleſiæ venerata, ſecundùm ejus Epiſtolas de fidei dogmate ſententiam tulit. *Theſis 1.*

D.Th.q.10 de Potentiâ a. 4. ad 13. & Opuſ 20. c. 18 lib. 3. p. q. 18. a. 1. in 0.

2. Honorius Romanus Pontifex, quem in Sextâ Synondo Oecumenicâ, tanquam naſcentis Monothelìſmi, Monothelitarumq; fautorem, damnatum fuiſſe, quidam aſſerere non dubitant, ab hæreſi, tam verè, quàm piè excuſatur.

3. Monothelitarum hæreſim, unicam in Chriſto operationem, adeoque, & unicam voluntatem propugnantium, S. Scripturæ, & SS. Patrum teſtimonia funditùs evertunt. *D Th 3. p. q. 18. a. 1. & al. b.*

4. Mahometanæ Religionis falſitas, ex ipſo Alcorano, & rectâ ratione facilè demonſtratur. *D. Th. ſparſim in libris con. Gentes.*

5. Religioſum Crucis Dominicæ cultum, contrà Paulicianos, in Claudio Taurinenſi, in Petrobuſianis, Vucleſiſtis, Lutheranis, & Calviniſtis redivivos, veterùm Patrum teſtimonia, & perpetua Eccleſiæ conſuetudo evincunt. *D Th. 2. 2. q. 103. a. 4 ad 3. 3 p. q. 25. a. 4. & alibi.*

SÆCULUM OCTAVUM.

1. Synodo ſeptimæ præfuit Hadrianus Pontifex Maximus per Legatos. *Theſis 1.*

2. Vſus, cultuſque Imaginum Chriſti, & Sanctorum, cùm Lege Dei nullatenus pugnat, imò Religioni conſentaneus eſt, & Fidelium excitandæ pietati utilis. Hoc dogma Catholicum ex Scriptura S., ex Patribus, & Eccleſiæ judicio, adverſus hujus, & ſequentium Sæculorum Iconomachos, invictè probatur. *D.Th. 3. p. q. 25. a. 3. ad 1. & in 3. d. 9. q. 1. a. 2. q. 2. ad 1. & 2.*

D.Th.3.p. q.23.a.4. 3. Chriſtum ſecundùm naturam, etiam humanam, non eſſe Filium Dei Adoptivum., S. Scripturæ teſtimonia, & veterum Patrum conſenſus demonſtrant contrà Felicem, & Elipandum, qui Neſtorii hæreſim inſtaurantes, errorem etiam de duabus in Chriſto perſonis conſequenter propugnabant.

SÆCULUM NONUM, ET DECIMUM.

Theſis 1. 1 PVtidiſſimam Fabulam, quæ de muliere Papiſſa Joannà, inter Leonem IV., & Benedictum III., in Sedem Romanam evectâ, cùm à Scriptoribus Catholicis nonnullis, tùm ab Heterodoxis pleriſque vulgata eſt, coævorum, ſuppariumque Auctorum teſtimonia confutant, & funditùs evertunt.

2. Hadrianus II. Pontifex Maximus Synodum VIII. celebrari juſſit, eique præfuit per Legatos. Hæc autem Synodus ut verè Oecumenica ab Eccleſia recepta eſt.

3. Controverſia de his vocibus *Trina Deitas* quæ inter Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem vetantem, ne ſub hæreſis periculo, in ſuâ Provinciâ *Trina Deitas* diceretur; & Ratramnum Corbeienſem Monachum, imò & Gotteſchalcum Reclufum, Hincmari prohibitionem ſcriptis impugnantes nono ſæculo efferbuit, demum finita eſt tacito Eccleſiæ iudicio, approbantis, & ubique canentis Hymnum *Sacris Solemnijs* à S. Thomâ Aquinate editum, cuius poſtrema ſtrophe ſic incipit *Te Trina Deitas, &c.* (D.Th.1.p. q.31.a.1., & q.39.a. 5., & 6.)

4. Sæculo X. nihil in fide, & doctrinâ Eccleſiæ de Euchariſtiâ novatum eſt; quicquid effutiant plures Calvinianæ Sectæ Miniſtri.

5. Exauctoratio Ioannis XII. in Synodo Romanâ anno 963. illegitima fuit. Vndè qui ipſi ſubſtitu-

ſtitutus eſt Leo VIII., Antipapa cenſendus eſt.

6. Errorem Photii, aliorumque Schiſmaticorum Græcorum, Spiritum S. à Filio procedere negantium, Scriptura S., Patres Græci, & Latini, ab utraque Eccleſia in Conciliis recepti, refellunt. Additio autem, *Filioque*, ad Symbolum, jure facta eſt, nec Latini propterea violati Symboli rei dici poſſunt. Ratio igitur legitima hæc nequaquam fuit, cur Græci à Romanæ, & totius Occidentalis Eccleſiæ Communione deficerent. *D. Th. 1. p. q. 36. a. 2. in c. & ad 2. & alibi, præcipuè in Opuſc. cont. Græcor.*

SÆCULUM UNDECIUM, ET DUODECIMUM.

1. CUm plerique Principum Inveſtituris ad opprimendam S. Electionum libertatem, & ad ſacrilegam Epiſcopatuũ Abbatiarũque nũdinatiõnẽ abuterentur, ipſarum uſũ jure prohibuit Eccleſia. Plerique Inveſtiturarũ propugnandarũ pertinaciã, hæreſim eſſe aſſerebant: negabant alii. Controverſia de Inveſtituris demùm compoſita eſt in Concilio Lateranenſi I. Imperator Inveſtituras Epiſcopatuũ, & Abbatiarum per Baculum, & Annulum dimiſit; & Canonicas Electiones liberè fieri permiſit. Eccleſia conceſſit, ut Electiones, præſente Imperatore, fierẽt, &, ſi quæ orir etur diſcordia, ipſe ſaniori parti aſſenſum, auxiliumque præberet, Metropolitani, & Comprovincialium judicio, vel conſilio. *Theſis 1.*

2. Schiſma Petri Leonis; Petrobuſianorum, & Arnaldiſtarum hæreſes; Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutio, triplex fuit ratio convocandi Concilii Lateranenſis II. Pariter Concilii Lateranenſis III. celebrandi prima ratio fuit, Schiſmaticorum damnatio; altera, Vualdenſium Hæreticorum condemnatio; tertia Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratio.

3. Uſus Azymorum, adverſùs Græcos Schiſmaticos, defendi poteſt exemplo Chriſti, quem in

D. Th. 3. p. q. 74. a. 4. & alibi, præcipuè in Opuſc. contra Græcos c. 61.

Azymo Euchariſtiam confeciſſe, ex trium Evangeliſtarum teſtimoniis evidenter colligitur. An autem perpetuus fuerit uſus Fermentati in Eccleſia Græcâ, & perpetuus item uſus Azymorum in Latinâ, quoàd priorem partem communis ſententia eſt affirmans; quoàd alteram verò ardua lis eſt inter Catholicos eruditiſſimos Viros: inter quos doctiſſimi Cardinalis Bona nobis magis arridet opinio, promiſcuum Fermentati, & Azymorum uſum in Eccleſia Latinâ per aliquot Sæcula fuiſſe, propugnantis.

D. Th. innumeris ferè locis in Tabulâ Aureâ relatis verbo EVCHARISTIA.

4. Dogma Catholicum de præſentiâ reali Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ; & de Tranſubſtãtiatione Panis, & Vini in Corpus Chriſti, & Sanguinem; adverſus errores Berengarii Sacramentariorum parentis, à Petrobuſianis, Henricianis, Vualdenſibus, Albigenſibus, Vuicleſiſtis propagatos, ac rurſus à Zuinglianis, Lutheranis, & Calviniſtis excitatos, S. Scripturæ teſtimonia, & perpetua Patrum Traditio luculenter oſtendunt. Quæ verò de Communione, & uſu Calicis reſpectu Laicorum decrevit Tridentinum Concilium Seſſion. 21. & 22., rectæ rationi, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Fidei Orthodoxæ omninò conſentanea ſunt.

D. Th. 3. p. q. 74. a. 1. ad 3. & q. 80. a. 12. & alibi.

D. Th. 1. 2. q. 113. a. 3. ad 1. 3. p. q. 30. a. 3. ad 1. q. 68. a. 9. in c. & alibi.

5. Baptizandos eſſe Infantes, S. Scripturæ oracula probant, Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ Traditio confirmat, Summi Pontifices, Concilia, Patres unanimi conſenſu, contrà Petrobuſianos, in Vualdenſibus, Albigenſibus, & Anabaptiſtis redivivos, perpetuò docent. Quod autem comminiſcitur Lutherus, Infantes, dum actu baptizantur, actualem fidem propriam habere, quâ credant in Chriſtum, partim vi Exorciſmi, partim orationibus Eccleſiæ, quæ adhibentur in Exorciſmo, obtentam, erroneum prorſùs, temerarium, ipſiuſque Lutheri ſolius auctoritate fultum, figmentum eſt.

SECV-

1. CONcilium Lateranenſe IV. Canone III. Albigenſes Hæreticos juſtè tradidit Sæculari Poteſtati, pœnis temporalibus puniendos. Bellum quoque adverſus eoſdem ſuſceptum, juſtum fuit. Vtrumque enim jure ſuo agere poteſt Eccleſia, agendumque præcipere. *Theſis 1.* *D.Th. 2. 2. q. 10. a. 8. & q. 11. a. 3. & 4. & alibi.*

2. Joachimus Florenſis Monaſterij in Calabriâ Abbas, licèt, ſubtilioris Theologiæ ignorantiâ, lapſus fuerit in errorem, quem hæreſis nota confixit Concilium Lateranenſe IV.; iniquè tamen ab aliquibus uti Hæreticus traducitur, cùm pertinax in errore dici non poſſit, omniaque ſua ſcripta Eccleſiæ judicio ſubiecerit. Apologiam Iacobi de Laude, Joachimum ab omni erroris labe purgare conantis, non probamus, utpote laudati Concilij judicio iniurioſam, ac temerariam. Ipſum Joachimum Prophetiæ dono claruiſſe, negamus. *D.Th.in 4. diſt. 43. q. 1 a. 1. q. 3., & Opuſulo 24.*

3. Mirari ſubit, quòd de Auctore Summæ Theologicæ Tripartitæ, quæ S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici nomen præfert, mortalium primus nuperrimè dubitaverit, vel dubitare ſimulaverit Joannes Launojus, leviſſimo prorſus ductus fundamento, quod vel emunctioris naris Criticis nullum unquam valuit ingerere dubium. S. Præceptori laudatam Summam, Coævorum, Suppariumq; Scriptorum teſtimonia, fides Manuſcriptorum omnium, & totius Ordinis FF. Prædicatorum perpetua, & à nullo unquam impugnata Traditio, Pariſienſis, Salmanticenſis Academiarum, omniumque Eruditorum ſuffragium, ipſius denique Eccleſiæ in Concilio Tridentino congregatæ judicium, invictè aſſerunt; imò & ipſa Summa Theologica ſemetipſam tanti Doctoris germanum Opus evidenter oſtendit. Luce clarius apparet, Officium integrum Venerabilis Sacramenti, non

Leodienſis Clerici, ſed S. Thomæ genuinum fœtum, citrà omnem dubietatem, eſſe, ac dici debere. Alexander Alenſis, Doctor Irrefragabilis nuncupatus, nec fuit, nec eſſe potuit Angelici Doctoris Præceptor; licèt hunc in illius traditum diſciplinam nonnulli recentiores ſcripſerint, alias putidos in anachroniſmos lapſi.

4. Templariorum Ordo in Concilio Viennenſi à Clemente V. juſtis de cauſis extinctus eſt.

5. Joannis XXII. Romani Pontificis Conſtitutiones de Paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, dominioque, vel uſu FF. Minorum, in dogmate fidei non ſunt contrariæ Nicolai III. Conſtitutioni, *Exiit qui ſeminat.* Quamvis autem idem Joannes in eam propenderit veterum quorumdam erroneam ſententiam, quòd Sanctorum Animæ ad ſupremi uſque diem Judicii Viſione Dei beatificâ non fruantur: eam tamen ut dogma fidei credendam Eccleſiæ non propoſuit.

D Th. locis in Tabulá Aureâ relatis, verbo, MISSA.

6. Præter Sacrificium, quo Chriſtus idem Sacerdos, & victima ſemetipſum in Arâ Crucis Deo Patri obtulit, aliud admittendum eſſe, atque credendum (quod Miſſam vocamus) Altaris incruentum, quotidianum, & verum in Eccleſia Sacrificium, prioris commemorativum, prò vivis, & defunctis propitiatorium, ſolique Deo offerendum, quod & Chriſtus ipſe obtulit, & frequentandum exemplo, & mandato ſuo conſtituit, contrà Albigenſes, Vuicleſiſtas, & qui ab ipſis errorum venena hauſere, Lutheranos, & Calviniſtas, S. Scripturæ oracula probant, perpetua Traditio demonſtrat, Concilia definiunt, & veteres Liturgiæ cõfirmant. Quod & intelligẽdum volumus æquè de Miſſâ privata, (ut vocant), adverſùs quam Heterodoxi recentiores potiſſimùm debacchantur; eam enim puriori Antiquitati ignotam non fuiſse, vetuſtiora Eccleſiæ monumenta teſtantur. Variis nominibus, Divinum iſtud Chriſtianæ Religionis Sacri-

Sacrificium appellatum eſt à Patribus. Unde autem Miſſæ nomen derivetur, non una eſt inter Viros eruditos opinio.

7. Juſtam eſſe Bonorum Temporalium ab Eccleſia Poſſeſſionem, contrà Vuiclefum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Monumenta, SS. Patrum teſtimonia, & exempla, piiſſimæquè Laicorum Principum leges evincunt. *D. Th. 2. 2. q. 185. a. 5. & alibi.*

SÆCULUM DECIMUM QVINTVM, ET DECIMVM SEXTVM.

1 SYnodus Conſtantienſis fidem publicam Hæreticis violandam non docuit; nec ab eâ, aut etiam à Sigiſmundo Imperatore, Joanni Hus, & Hieronymo de Pragâ violatam unquam probabitur. *Theſis 1.*

2. Annatarum exactionem Simoniacam, vel illicitam eſſe, nec tota Natio Gallicana ſenſit tempore Concilij Conſtantienſis, nec eam Concilium ipſum damnavit. Unde Annatas ſolvere, pium eſt: exigere, nec Simoniacum, nec iniuſtum.

3. Baſileenſis Concilii Ferrariam translatio ab Eugenio IV. Summo Pontifice legitimè facta eſt eodem prorſus jure, ac poteſtate, quâ deinde eamdem Synodum idem Pontifex Ferrariâ Florentiam tranſtulit. Florentinæ Synodi Oecumenicam eſſe auctoritatem, Græculi Sciſmatici, per eamdem Synodum miſerrimè contriti, falsò inficiantur; quibus adherere, vel in hoc, hæreticum cenſemus.

4. Quæ per Concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. Bononiæ conventa, & à Synodo Lateranenſi V. confirmata, in Eccleſiæ diſciplinâ facta mutatio eſt, utilitate Eccleſiæ poſtulante facta fuit. Hanc autem Lateranenſem Synodum Oecumenicam eſſe, non dubitamus.

5. Non merum Baptiſmi ritum (ut, præcipuè Calviniſtæ, contendunt) ſed verum Evangelicæ

Legis Sacramentum eſſe Confirmationem, rectè definivit Tridentinum Concilium.

D.Th. locis in Tabulâ Aureâ relatis verbo.CONFIRMATIO.

6. Ex Chriſti verbis rectè infertur Sacramentalis Confeſſionis neceſſitas: proindeque Tridentina Synodus, Lutheranos, & Calviniſtas, eorumq; Anteſignanos, Vualdenſes, Albigenſes, & Vuicleſiſtas, divino jure neceſſariam eſſe illis, qui poſt Baptiſmum in mortalia peccata lapſi ſunt, negantes, anathemate meritò confixit. Porrò Confeſſione Sacramentali Eccleſiâ Catholicâ ab initio uſa eſt; eaque fuit à Sanctiſſimis Patribus, unanimi conſenſu ſemper commendata.

D.Th. locis in Tabula Aureâ relatis verbo.CONFESSIO Sacramentalis.

7. Sacrum Concilium Tridentinum, ceu legitimum, & Oecumenicum, ab omnibus Orthodoxis habendum, colendum, & ſuſcipiendum eſt. Nedùm, quæ circà fidei capita ſtabilivit, infallibilis fuit auctoritatis; verùm etiam ea prorſus omnia, quę de Reformationis negotio Decreta edidit, ſanctiora, temporibuſque accomodatiora eſſe non poſſunt: proindè varias ejus, præcipuè circà Diſciplinam, leges temerè calumniantur Petrus Suavis Polanus, larvatus æque, ac maledicentiſsimus Scriptor, Molinæus, Gentiletus, Auctor Anonymus *Reviſionis Concilii Tridentini*, aliique plures ejuſdem furfuris homines; qui maximè ex ipſius Synodi ſinceris Actis, facillimè refelluntur.

SÆCULUM DECIMUM SEPTIMUM.

Theſis 1.

1. NEdùm quinque famoſarum *Ianſenij* Yprenſis propoſitionum damnationi, ſed inſuper, eas verè in ejuſdem *Ianſenij* libro contineri, ex illo excerptas, & in ſenſu ab Auctore intento fuiſſe damnatas declarationi, ab omnibus Chriſti fidelibus, ſincero prorſus animo, ſubſcribendum eſt; ut perindè Apologias prò *Ianſenij*, mente, ſeu libro ſcribentes, idem crimen admittant, quod olim *Origenis*, *Neſtorij*,

Trium

Trium Capitulorum, aliorumque errores damnatos continentium librorum, vel illorum Auctorum Defenſores, poſt editum Eccleſiæ, etiam in re Facti cum jure connexi, infallibile iudicium, perpetrabāt. Vndè Summorum Pontificum in hac re editis Conſtitutionibus debitam obedientiam, nullatenùs exibent ij, qui obſequioſum (ut ipſi aiunt) ſervantes ſilentium, internâ credulitate ijſdem renuunt aſſentiri, ideoque vel ex hoc *iniquitatis filij* appellandi.

D.Th.2 2. q 10.a.12. c. & q. 11. a. 2 ad 3. & q. 89. a 9.ad 3.& 3.p. q.72. a.11. ad 1. Item Op. 1. cont. errores Græcorum.

2. *SS.Auguſtini*, & *Thomæ* auctoritatibus enormiter abuſus eſt in ſuo procudendo Gratiæ ſyſtemate *Ianſenius*; nec mirùm: N*on enim meliùs loqui potuit Auguſtinus*(& Thomas)*quàm Prophetæ, quàm Apoſtoli, & Evangeliſtæ, quorum mentibus ſimiliter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi ſuos defendere conantur errores*, aiebat *Facūdus* Hermianenſis l. contrà *Mocianum*.

3. Ridendi ſunt potiùs, quàm refellendi, qui Thomiſtas tenaces antiquæ de Gratiâ ſe ipſâ efficaci, & de Prædèſtinatione gratuitâ doctrinæ, quam Scriptura, Patres, & antiquiores Scholaſtici tradunt, famoſis libellis, apud imperitos *Ianſenismi* inſimulare præſumunt. Poſſunt quidē ignaræ plebi ſumos vendere, & ad populum Phaleras iactare: at viris doctis, & in traditione Eccleſiæ exercitatis nemo unquam perſuadere poterit, illam Thomiſtarum doctrinam quidquam affinitatis habere cum *Ianſenij* erroribus, à quibus certè multis paraſangis diſtare, ultrò faſſi ſunt, & libris editis invictè probarunt, *Annatus*, *Deſcamps*, *Martinonus*, & *Martinex de Ripalda*, laudatiſſimæ Societatis Ieſu Scriptores. Hinc iuxtà numerum damnatarum *Ianſeni* j propoſitionum, ſequentes quinque Thomiſtico--Catholicas ſubnectimus theſes.

4. Prima. Cū ex S.*Auguſtini* ſententia, quam tota *S.Thomæ* ſchola ſequitur, Gratia efficax volūtatem infallibiliter, citrà tamen neceſſitatem, vi divinę motionis flectens, & determinans, ad ſingulos Chri-

D. Th. innumeris ferè locis in Tabula aurea Petri Bergomenſis relatis, præcipuè uerbo GRATIA.

ſtianę pietatis actus neceſſaria ſit, nunquam contingit, ut, vel oremus, ſicut oportet, niſi cum ea operatur, ut oremus, nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum; nec ut Dei mandata ſervemus, niſi cum illa facit, ut in ejus præceptis ambulemus; nec denique ut Inimici tentationes ſuperemus, niſi cum nobis victoriam largitur. Cum itaque Iuſti aliquando tẽtationibus ſuccumbant, & in varia peccata prolabantur, etiam cum illa vitare imperfectè, & remiſsè volunt, & conantur, manifeſtum eſt, Iuſtis in illo imperfectæ, & remiſſæ volũtatis ſtatu, vitio licet ſuo, mandatum violantibus, efficacem illam, & victricem, quà præſente nunquam vincimur, Gratiam non adeſſe.

5. De his autem Iuſtis, quibus ſufficiens adeſt Gratia, licet efficax deſit, verè dici poteſt, & debet, poſse illos Dei mandata ſervare, tentationique reſiſtere, utpotè non ſolùm liberi Arbitrij virtutem, & Gratiam habitualem habentes, ſed etiam Gratia actuali ſufficienti adiutos: adeoque jure meritò uti temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & Hæreticam fuiſſe declaratam propoſitionem hanc: *Aliqua Dei præcepta Hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.*

D. Th. 1. 2. q. 109. a. 4. c. & ad 2 & a. 9. Item 3. p. q. 68. a. 6. ad 3. & q. 70. a. 4. c.

6. Secunda. Gratia interior duplex eſt: alia efficax, quà poſita ſemper ſequitur effectus ille, ad quem ſuaviter impellit voluntatem; alia inefficax, qua poſita ſequi poteſt, ſed actu non ſequitur effectus ille, ad quem voluntatem excitat. Priori Gratiæ reſiſti quidem ſemper poteſt, at numquam, ità reſiſtitur, ut effectu illo privetur, ad quem ſuaviter impellit voluntatẽ; quod his etiam verbis exprimunt noſtri Thomiſtæ, ut reſiſti poſſe dicant in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito. Secundæ verò Gratię, quę etiam dicitur ſufficiens, nullùm poteſt reſiſtere, ſed actu reſiſtit, & renititur

D. Th in 4. diſt. 11 q. 1. a. 3. q. 3. ad 2. Et 1. 2. q. 106 a. 2. ad 2. Itẽ quodlib. 2. a. 5. & 3. cont. gentes cap. 159. & in cap. 1. ad Theſſal. lect. 2.

titur voluntas,eamque eo effectu privat, ad quem excitat,& ad quem poteſtatem proximã, & expeditam largitur. Vndè hæreticum eſt dicere: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

7. Tertia. In homine lapſo adeſt perpetuò ea,quam Thomiſtę vocant activam indifferentiam, eamque proximam dicere nihil vetat,dummodò ab hoc verbo ſemoveas illum ſenſum, ut voluntas per efficacem Gratiam mota credatur nunc conſentire,nunc diſſentire; ſivè,quod idem eſt,nunc actualem conſenſum,nunc actualem diſſenſum cumGratiâ ſeipsâ efficaci componere: hęc enim licet infallibiliter voluntatem ad agendum determinet, atq; ita numquam voluntas illi actu diſsentiat, non tamen inducit neceſſitatem,quia non tollit ab eâ activam illam,& proximam diſſentiendi poteſtatem. Relinquitur ergò, iuſtè hęresis notâ confixã fuiſſe propoſitionem hanc: *Ad merendum,vel demerendũ in ſtatu naturę lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Huius damnatę propoſitionis fundamenta ponebat *Ianſenius*, & verum moliebatur errorem, quando fictitium alijs aſcribebat, falſo omninò aſſerens, *Pelagij* capitalem errorem fuiſse, & ab Origene iam præformatum,indifferentiam nempè ad bonum,& malum, excluſionemque neceſſitatis ad utrumlibet, eſſentialem eſſe humani Arbitrij libertati: hanc enim libertatis notionem Concilia, & Patres conſtanter tradiderunt; neque quoad hoc Fidei caput *Origenes, & Pelagius* à veritate aberraſſe inveniuntur.

D.Th.1.p. q.22 a.2.ad 1 q.62.a.8. ad 3 q 83. a.3 & 4.& 1.2.q 6 a.4 c. & q.10. a.4.ad 1. & q.114. a.6. c. item q. 6.de malo.

8. Quarta. Tantùm abeſt, ut Semipelagiani Gratię interioris pręvenientis neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, admitterent, quinimò, ut Sęculo 5. Theſi 2. diximus, omnem illius neceſſitatem conſtantiſſimè negabant: tantantumque abeſt, ut ijdem Semipelagiani ideo

hæretici fuerint, quòd dicerent, Gratiæ nos conſentire, & diſſentire poſſe, quinimò certiſſimum eſt, cuicumque Gratiæ, etiam efficaci, reſiſti poſſe, ideſt cum quacunque Gratiâ ſimul remanere activam, & proximam diſſentiendi poteſtatem; licet actu nunquam efficaci Gratiæ diſſentiatur. Falsa itaque, & hæretica æquiſſimè declarata fuit hæc propoſitio; *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad actus Fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Et licet, quid de initio Fidei ſenſerint Pelagiani, quæſtio ſit Facti; ita tamen eſt quæſtio Facti, ut Ius etiam involvat in propoſitione damnatâ, quam proinde Falſitatis, & Hæreſis notâ configere, neceſſe fuit.

D. Thom. quodl. 1. a. 1. ad 1. & de Veritate a 6.

9. Quinta. Licet Semipelagianum ſit aſſerere, prò omnibus æqualiter omninò *Chriſtum* eſſe mortuum, & mortis ſuæ pretium, æquè omnibus diſpenſaſſe, nec maiora ex *Chriſti* morte beneficia in vaſa miſericordiæ, quam in vaſa iræ derivari: adverſus tamen *Calvinum*, eiuſq; Gregales, necnon & *Iāſeniū*, mortuum eſse *Chriſtum* prò ſolis Prædeſtinatis, ita ut Reprobi à Redemptionis beneficio penitùs excludantur, docentes, Fidei dogma eſt, *Chriſtum* prò omnibus hominibus ſufficienter mortuum eſſe, non ſolâ pretij ſufficientiâ, quod ſanguis ejus omnibus hominibus redimendis ſatis eſset, ſed ſufficientia etiam voluntatis, & intentionis, quòd illum omnibus ad ſalutem prodeſse voluerit, antecedenti licet, ac generali (ut poſt SS. *Damaſcenum*, & *Thomam* Theologi de ſchola loquuntur) pia tamen, ſincerâ, & paterna voluntate.

D. Th. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. 3. p. q. 8. a. 3. c. & q. 49. a. 3. c. & ad 7. & q. 61. 1. c. & q. 79. a. 7. ad 2.

10. Cum hoc autem Fidei dogmate optimè cohæret Auguſtiniana, & Thomiſtica de gratuitæ Prædeſtinationis doctrina, cujus hæc ſumma eſt, ſolis Electis, ſi ſpectetur, non antecedens, ſed conſequens Dei voluntas, ſalutē æternam æterno Dei Prædeſtinan-

Item in 3. diſt. 0 q. 1. a. 1. q. 1. ad 2.

Item 4. cont. gent. cap. 55. n. 6.

nantis decreto ſtatutam eſſe, cum eâ Gratiarum, & beneficiorum ſerie, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur; quorum beneficiorum unique præcipuum eſt Perſeverantiæ donum, quod nemo proprium eſſe Prædeſtinatorum inficiatur; hinc neque ſequitur *Chriſtum*, cujus efficax voluntas Paternæ ſemper conformis extitit, hoc decretum, nec precibus, nec morte ſua, efficaciter mutare voluiſſe, proindeque ſolis illis efficaciter promereri voluiſſe ſalutem æternam actu conſequendam, & Perſeverantiæ donum, quos ſibi à Patre datos, & de manu ſua à nemine raptũ iri, in Evangelio dicebat.

Item in cap. 2. 1. ad Timoth. lect. 2.

Demum pluribus alijs locis in Tabulâ Aurea Petri Bergomenſis relatis; præſertim verbis-GRATIA. PERSEVERANTIA & PRÆDESTINATIO.

11. His poſitis, adhuc veriſſimũ eſt dicere, *Chriſtum* prò omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe, etiam prò Reprobis, quibus Gratias, traditâ per Thomiſtas notione, ſufficiẽtes meruit, quamvis nemo iis benè utatur, niſi uberioribus illis, & efficacioribus auxiliis adiuvetur. Vndè meritò uti falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut *Chriſtus* prò ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impia, blaſphema, cõtumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica declarata fuit hæc propoſitio: ***Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum prò omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem ſudiſſe.***

Pariter adversùs recentiores Pſeudo-Myſticos, vulgo Quietiſtas, Duce Michaele Molinos Aragonenſi, Beguardorum, & Beguinarum hæresis inſtauratores, ac propagatores; ab Innocentio XI. Romano Pontifice damnatos, has ſequentes theſes ponimus, præcipuis, & palmaribus Moliniſtarum erroribus è veſtigio oppoſitas.

12. Prima. Homo in vita præſenti, ſecundum legem communem, tantum, ac talem perfectionis gradum conſequi non poteſt, ut reddatur impeccabilis, & ampliùs proficere non valeat. Habitualis etiã puri, & perfecti amoris in hac vita ſtatus, erroneum figmentum eſt, Scripturæ S., & Traditioni contrarium.

D. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 4. & alibi ſæpè.

13. Nul-

13. Secunda. Nullus eſt in hac vita perfectionis ſtatus, in quo Juſti jejunare, & orare, bonaque ſpiritualia, remiſſionem peccatorum, gratiam perſeverantiæ, vitam æternam, &c. deſiderare, & ſupplices à Deo petere non debeant; carnem mortificantes, & crucifigentes, & ſe veros Domini mendicos agnoſcentes. Vnde iidem Iuſti non tenentur, imò nec debent indifferentes eſſe reſpectu Beatitudinis, æternæ; conſtans enim eſt SS. Patrum Doctrina, charitatem Viæ, amoremque caſtum, & purum non excludere, imò nec divelli à deſiderio mercedis æternæ, quæ Deus eſt.

D. Th. 1. p. q. 12. a. 6. 1. 2. q. 114. a. 4. 2. 2. q. 23. a. 1. & 2. & q. 26. a. 13. ad 3. & alibi.

14. Tertia. Quòd Animæ ſanctæ in extremis probationibus ſalutem ſuam æternam abſolutè devovere poſſint, error eſt contrà fidem: nec huic impio, & deſperato Novæ Myſtagogiæ Syſtemati, præcipuè de abſoluta ſuæ ſalutis æternæ devotione, actu reflexo, vel in extremis probationibus licita, & permittenda piis Animabus, S. Paulus, & Patres, vel antiqui ejus interpretes favent.

D. Th. ubi ſupra.

15. Quarta. Fictitia prorſus eſt Animæ à ſemetipſa diviſio, partiſque ſuperioris cum inferiori interclusum commercium; viamque aperit ad omnia libidinum flagitia; quæ proindè ſoli violentiæ Satanæ Spurii Myſtici tribuenda effutiunt.

D. Th. locis in Tabula Aurea relatis verbo, ANIMA.

16 Quinta. Virtutum Studium, & exercitia ad Chriſtianam perfectionem pertinere, Fides docet: Vndè actus virtutum exercere debet Chriſtianus homo, quouſque Deum videat, quantumvis ſublimem Contemplationis gradum attigiſſe videatur; ſtudium enim, & exercitia virtutum non ſunt labes proprietatis, ut falsò docent Quietiſtæ.

D. Th. pluribus locis in Tabula Aurea relatis verbo, VIRTUS.

17. Sexta. Aſſerere cogitationem de Chriſto Ieſu, & eius Myſteriis, omnemque ergà ipſa devotionem, à Contemplatione excludi, illuſio eſt; hæreſis eſt. Summum enim ens non eſt unum Contemplationis obiectum. Contemplatio itaque humanitatis Chriſti, & erga illam devotio, lac eſt, à quo nulla in hac

D. Th. 2. 2. q. 180. a. 4. & alibi.

in hac vita hominum ſpiritualium ætas ablactari debet.

18. Septima. Quod afferunt Quietiſtæ, veterum Gnoſticorum obſcœniſſimas turpitudines æmulati, Fornicationem, alioſvè carnales actus non eſſe peccata, cum graviter tentatur exercens, prorsùs hęreticum eſt. Diabolus peccatum quidem ſuggerit, & ſuadet; ad illud autem committendum vim inferre non poteſt; ſed quiſque ſui ad crimen impulſor, & præcipitator eſt.

D. Th. pluribus locis in Tabula Aurea relatis ver. bo, DAEMON.

19. Octava. Iuſti, ſpiritualeſque viri in quocunque perfectionis gradu conſtituti ſupponantur, Eccleſiæ præcepta ſervare tenentur, & Paſtoribus, ac Præpoſitis obedire, non ſolum in iis, quæ diſciplinam exteriorem, verùm etiã in iis, quę directionem interiorem Animarum ſuarum ſpectant.

D. Th. pluribus locis in Tabula Aurea relatis ver. bo, ECCLESIA, & OBEDIENTIA.

20. Nona. Falſum eſt, quod cœca in omnibus Obedientia exibenda ſit Superioribus, & Directoribus, cum *Rationabile* debeat eſſe *obſequium* noſtrum, ut probemus, *quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*(*Rom.* 12. 1. 2.)nec *credere* debeamus *omni ſpiritui, ſed* probare *Spiritus, ſi ex Deo ſint.*(*Ioan.* 4. 1.) Imo Chriſtus ipſe (*Mat.*7.15.) pręcipit cavere *à falſis Prophetis, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Sed ſatis notũ eſt, quò tendat principium illud, Mulierculis pręcipuè, toties à Quietiſtis inculcatum.

D. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3. & alibi

21. Decima. Fanatica quędam mulier de Hãnonia, cui nomen MARGARITA PORRETE, Anno 1310. in Galliis, hãs Quietiſtarum, & Beguardorum hęreſes pręformavit edito libro: quę proinde ab Hæreticæ pravitatis Inquiſitore damnata, & Curię Sæculari tradita, Pariſiis igne cremata eſt.

Mulierem hanc, ſeù ejus hęreſim adumbraſſe videtur Salomon in Proverbiis (9. 13.) illã ſub

ænig-

ænigmatica muliere ſtultâ, ſed plenâ illecebris; de qua Auguſtinus (*Tract.97. in Ioannem*) his verbis: *Cavete timendo, & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, ubi* MVLIER *inſipiens, & audax, inops panis effecta convocat prætereuntes, dicens:* PANES OCCVLTOS LIBENTER ATTINGITE, ET AQVÆ FVRTIVÆ DVLCEDINEM. *Hæc enim Mulier vanitas eſt impiorum, cum ſint inſipientiſſimi, aliquid ſe ſcire opinantium, ſicut de iſta Muliere dictum eſt,* inops panis effecta. *Quæ, cũ ſit inops panis, promittit panes: ideſt cum ſit ignara veritatis, promittit ſcientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter attingi, & aquæ furtivæ dulcedinem: ut ea ſcilicet libentius, & dulcius audiantur, & agantur, quæ palàm in Eccleſia dici, credique prohibentur. Ipſa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarij Doctores ſua venena curioſis: ut ideo ſe exiſtiment aliquid diſcere magnum, quia meruit habere ſecretum, & ſuavius hauriant inſipientiam, quam putant ſcientiam, cujus prohibitam quodammodo furantur audientiam.* Hæc ille.

Quod verò de omnibus Hæreticis à Spiritu S. dictum interpretatur idem S. Auguſtinus (*in Pſ. 67.*) longe potiori titulo de Quietiſtarum Pſeudo-Myſticorum Ducibus, eorumque adunationibus uſurpandum putamus: *Congregatio* TAVRORVM *in* VACCIS *populorum, ut excludant eos, qui probati ſunt argento.* (*Pſ.* 67.39.)

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE